







Digitized by Google

4. 8195



Digitized by Google

4 - 8 - 175 5

XXVIII

CLAVD

Ex leg.° D. Equitis
Ant. Francisci
de Marmis

Digitized by Google



Digitized by Google

P1

JOH. JACOBI CLAUDII

DISSERTATIO

DE

SALUTATIONIBUS VETERUM,

Cui addita est Diatribe


DE

NUTRICIBUS

ET

PÆDAGOGIS.

4 E 195





ULTRAJECTI,

Apud JOHANNEM VISCH,
Bibliop. CIϽ IϽ CC II.

Nobilissimo Amplissimo

ILLUSTRISSIMOQUE

VIRO

D. HENRICO MARCHIONI

DE RUVIGNI

GALLOVIDIÆ COMITI.

ALÆ PRÆTORIANÆ PRÆFECTO.

COPIARUM MAGNÆ BRITANNIÆ DUCI. &c. &c.



D Te redeunt, COMES ILLUSTRISSIME, primitiæ ſtudio-

rum, quorum adeo benigne patronum Te ſemper præbuiſti, quas Te pro ſolita benignitate acceptu-rum ſpero & confido. Non quod tantus ſim mei ipſius æſtimator, ut in mentem inducere mihi poſſim haſce lucubratiunculas dignas eſſe quæ Tibi offerantur. Pauci illud de ſe jure merito credere poſſent: quid

quid igitur ego adolescens, nulla in re laudandus, nisi in eo quod Te, ILLUSTRISSIME COMES, summopere venerer. Sed benevolentia Tua fretus, & publice qualia Tibi debeam profiteri cupiens, hoc humillime Tibi voveo opusculum, quod multis de causis totum Tibi vindicasti. Tu, avo meo in Galliis,

ſive res domeſticæ expeterent, ſeu opus eſſet in difficillimis cum Eccleſiæ Romanæ aſſeclis diſceptationibus, non tantum fautor, ſed & promotor, ſemper præſto fuiſti. Non minori in his regionibus benevolentia patrem meum proſecutus es; qua tandem me fratremque parentibus orbos ſuſce-

ce-

cepisti, fovisti. Tanto scilicet favore, ILLUSTRISSIME COMES (vel quocunque illud nomine designem, cum nullo uti vocabulo possim quod longe levius non sit Tuis erga nos meritis) meam dignatus es familiam, ut a patre ad filium, a filio ad nepotes propagatus sit; & cum eo simul ab avo ad pa-

trem, a patre ad nosmet ipsos, gratus animus atque memoria maximorum beneficiorum sempiterna. Talia hæc sunt, ILLUSTRISSIME COMES, ut vix ab alio possint proficisci, Tibique sint peculiaria: sed quid mirum? in Te omnes hæ virtutes conjunctæ deprehenduntur, quæ separatim singulæ maximis dig-

digna ſunt laudibus. Charitatem ſi conſideremus, quæ major eſſe poteſt? cujus & nos, & quotquot ſunt qui Chriſtum omnibus prætulerunt bonis teſtes ſumus. Jam ſi in rebus civilibus perſpicacitatem, & in regendis populis prudentiam perpendamus, ſtatim ſe offert Hibernarum gentium

moderamen, a ſapientiſſimo Rege, ſed cujus, proh dolor! nihil præter deſiderium ſupereſt, Tibi traditum, quo quis unquam melius functus eſt? Si convertamus ab altera parte oculos ad bellicas virtutes, quanta! quam præclara occurrunt! Dux exercitus cum militibus imperas, tantum ad arma na-

tus videris. Quantus in proeliis ardor! animi intrepidi quanta firmitas! ſed prolabor ſenſim in laudum Tuarum latiſſimum campum, ex quo qua ratione quis expedire ſe poſſet? omni præconio certe majores ſunt, nedum meo. His igitur ſuperſedeo, ILLUSTRISSIME COMES, tute tibi maxima laus, maxi-

ma gloria. Interim ut Te diu in publicum bonum privatumque noſtrum Deus Optimus Maximus incolumem ſervare velit caſte veneror.

Amplitudini Tuæ

Addictiſſimus cliens

J. J. CLAUDIUS.

LECTORI

Χαίρειν.



Aucis te alloquar Benevole Lector. Habes Dissertationem de Salutationibus; non difficile argumentum, neque ex remotissimæ Antiquitatis latebris haustum, haud inutile tamen & quod non paucis Auctorum locis lucem afferre potest. Sed nescio quo immerito fato, a multis plane, imo data aliquando opera neglectum, ab aliis & iis paucissimis nimis perfunctorie tractatum est. Solum enim huc usque Stukium novi, qui in Antiquitatibus Convivalibus

aliquid in genere de ſalutationibus dixerit, bene quidem, minus tamen commode ad rem. Paſſim in Electis & in reliquis operibus ſalutationes quaſdam tetigit doctiſſimus Lipſius, ſed breviter adeo ut aliud ſemper egiſſe videatur. Hoc cum animadvertiſſem, diligentius quæ inter legendum occurrebant, obſervare, & in ſchedas conjicere cœpi, unde nata hæc qualiſcunque Diſſertatio; in qua hoc fuit propoſitum ut varias ad certa capita ſalutationes referrem & præcipuos ad eas pertinentes ritus obſervarem. Quod ſi ex parte aſſecutus fuerim, optime tempus mihi collocaſſe videbor. Tantum enim mihi non ſumo ut omnia me præſtitiſſe credam

quæ

quæ præstari poterant, Docti soli hæc de se prædicent, tali tentasse sufficiat, qualem me probe novi. Addidi Diatriben de Nutricibus & Pædagogis, jucundam satis, sed aridam præcipue ubi de Pædagogis agitur materiam. Cujus si tibi non arriserit expositio nostra, veniam facile ipsum argumentum, & juvenilis ætas impetrabunt. Tenuia enim hæc initia tui juris non ad ostentationem facio, sed quasi specimen offero, studiorum quibus valde semper sum delectatus, quæque ut singulari prosequerer ardore, effecit præclara eruditio Doctissimorum Virorum, Johannis Georgii Grævii, & Petri Burmanni, sub quorum auspiciis in ea incubuisse

buisse

buisse summopere mihi gratulor. Cæterum, Athenæi locum ex lib. 1. cap. 11. quem pag. 133. omiseram, heic adscribere non ingratum forsan erit. Ex quo apparet Antiquos non solum Convivis τῷ χαίρε propinasse, sed etiam porrecta dextra eos salutasse: verba sunt.

Ἦν δὲ τις αὐτοῖς καὶ διὰ τῆς προπόσεως ἀσπασμός. Οἱ γοῦν θεοὶ

--- χρυσέοις δεπάεσσι

Δειδέχατ' ἀλλήλους. ---

ἤτοι ἐδεξιοῦντο προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς, καὶ τις δὲ δειδεκτ' Ἀχιλλέα ἀντὶ τοῦ ἐδεξιοῦτο, ὅ ἐστιν προέπινεν αὐτῷ τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον. Salutabant & olim se mutuo, propinantes. Itaque dii vicissim.

Excipiunt sese pateris fulgentibus auro, id est δεξιοῦνται

ται porrectis dextris invitant, & salvere jubent. Achillem etiam quidam δείδεκτο accepit, id est ἐδεξιοῦτο, nempe ipsi propinans poculum dextra obtulit. *Vale Benevole Lector, nostrisque conatibus fave.*



Ad Lectorem de

JOH. JACOBI CLAUDII

Libro, quo eleganter exponuntur quæ ad Salutationes Veterum, ut & Nutrices & Pædagogos *pertinent.*

Αἱμύλ' ἐὰν ποθέεις προσρήματα
πάντα δαῆναι,
Ἀνδράσιν ἀρχαίοις τῶν ποτε χρῆ-
σις ἔην.
Δεῦρ' ἄγε, τήνδε λαβοῦ βίβλον
μέγα κάλλος ἔχουσαν,
Κλαύδιος ἔνθα σαφῶς δῶκεν
ἕκαστα μαθεῖν:
Ὡς θέμις ἰσαῖον τὴν δ' αὖ πολὺ μεί-
ζονα τίειν,
Τίς δολεροῦ κόλακος, τίς λόγος
ἐστὶ φίλου.
Ἔνθ' ἔτι καὶ μαιῶν τυτθοὺς δέ τε παῖ-
δας ἀγόντων
Ἐσθλὰ μάλ' ἐνδυκέως Κλαύδιος
ἔργα λέγει.
Ἦ λίαν ἀθάνατοι θυμῷ πεφιλήκασι,
τόσσην
Σοὶ πόρον ἰδμοσύνην καίπερ ἐόντι νέῳ

H. MASCAMP.

Sagacissimo plurimisque ingenii dotibus conspicuo Juveni

JOH. JACOBO CLAUDIO

Cum Dissertationes suas
De *Salutationibus Veterum*, *Nutricibus & Pædagogis*, in lucem ederet.

Præclarum hoc specimen nimio perfundit amicum
Gaudio, ut in tacito corde manere queat.
O Juvenis! cujus teneris apparet in annis
Quis pater, & quanto sis oriundus avo.
Fortibus ostendis molles non posse creari,
Nomen qui tantum ferre decusque vales.
Si tibi, quod spero, summi det Rector Olympi
Vita (sed quæ sit longa, beata,) frui:

Non

Non dubito quin tu crescas virtute quotannis,
Dignos quin fructus floribus hisce feras.

Hæc amico dilectissimo cecinit
JACOBUS RIVALS. Phil. Stud.

Eximio & eruditione conspicuo juveni
JOH. JACOBO CLAUDIO
Cum elegantissimas suas
De Salutationibus Veterum, Nutricibus & Pædagogis
Dissertationes, publici juris faceret.

GRatulor o CLAUDI! multo sudore parata
En, cingent meritas Laurea serta comas.
Plaudite *Pierides*, & nunc attollite cristas
Non vestra omnino gloria spreta jacet;
Hic propria claros attingit laude Parentes,

Qui

Qui fuerant Veri lumina magna Dei:
Hunc tu respicias, blande faveasque *Thaleia*,
Quem fovet in casto docta *Minerva* sinu.
Scilicet o nexu mihi conjunctissime certo,
Pallada sectando præmia magna feres.
Sed cave deficias, assuetaque castra relinquas,
Non nisi constantes strenua *Pallas* amat.
Herculeo CLAUDI tentanda Minerva labore est,
Et tot *Cocyti* monstra domanda prius.
Huc generosa vocat præclaræ stirpis origo;
Turpiter a magnis degeneratur Avis.
Sidera quot coelum, quot gratus gramina campus,
Flumina quot pisces, quotque

ha-

habet aer aves,
Et Jovis annosa patuli quot in arbore rami
Tot sint militiæ præmia digna tuæ.

In perpetuum duraturæ amicitiæ Symbolum posuit
JEREMIAS FRESCARODE. Phil. Stud.

In elaboratissimas Doctissimi juvenis
JOH. JACOBI CLAUDE,
De Salutationibus, Nutricibus & Pædagogis Veterum
Dissertationes.

CErnis opus juvenis, sed cui jam docta Minerva
Ante annos dudum munera larga dedit.
Quin natum hunc jures, (si fas a virgine nasci)
Sic sapit a puero, Palladis esse deæ.
Perlege: non poterit tenuis piguisse laboris,

In

Inſunt nam parvo plurima
docta libro.
Claudius hic Græcum χαίρειν,
ſalvere Latinum
Et docte ritus explicuit va-
rios.
Qualis habenda, fovet foetus quæ
lacte tenellos
Nutrix, & matris quæ ſubit al-
ma vicem.
Quos *nutritores* pueris pia cura
parentum
Infirmis comites aſſiduoſque
dedit.
Tu ſalve ô claræ ſtirpis gene-
roſa propago,
Perge, patrem & doctos ſic
imitatus avos.
Gratulor: ipſe tibi feliciter ipſe
precatur
Livor, & admugit CLAU-
DIE *grande ſophos.*
Quis te carminibus nunc dignis
CLAUDIE tollat?
Tu famam æternam parve li-
belle

belle dabis.
Nec opus eſt demum poſt mortem vivere laude,
Vivus habes, quam vix cui dare fata ſolent.

Sic invito licet Apolline amicus amico accinere non dubitavit,

G. BEST. *Juriſpr. Stud.*

DIS-

DISSERTATIO

DE

SALUTATIONIBUS VETERUM.

Cap. I.

Salus, Saluto, Salvus, Salvere, Salutaris. *Græcorum vocabula salutationem designantia.* ἀσπασμός, *aliquando salutatio per osculum, sæpius simplex salutandi actus; eadem verbi* saluto *ratio.* Saluto *sumitur pro* conservo, *significat &* adoro. *Salutatio est antiquissima.*



E Salutationibus dicturus, ab ipsa voce *Salus* exordior; quam Etymographi quidam a Græco σῶος, ab Hebræo *Schalom* alii, derivant;

vant; Ex hac fiunt verbum *saluto*, & adjectivum *salvus*, a quo iterum *salvere*. Hoc formula salutationis, sicut τῷ *saluto* ipse salutandi actus, denotantur; a *saluto*, fit *salutaris*.

Vocabula hæc salutationi designandæ Romanis inserviunt, pluribus utuntur Græci, quæ omnia fere, a Julio Polluce enumerantur; lib. 5. cap. 31. ἀσπασμὸς, πρόσρησις, προσηγορία, προσαγόρευσις. Προσαγορεῦσαι, καὶ προσρηθῆναι, ἀσπάζεσθαι, καὶ προσειπεῖν, προσαγορευθῆναι, προσεῤῥῆσθαι, προσεῤῥημένος: καὶ ἀντιπροσειπεῖν, καὶ ἀντιπροσαγορεῦσαι, καὶ ἀντασπάσασθαι. Vertit Gualtherus. *Salutatio*, *allocutio*, *affabilitas*, *appellatio*; *alloqui*, *affari*, *salutare*, *appellare*, *salutem dicere*, *&* *allocutus respondere*, *salutem referre*, *&* *resalutare*. Eadem fere variis in locis Hesychius; sic in

προ-

πρόσρησις : πρόσρησις, προσηγορία ἄσπασμος : alibi, προσηγορία ὀνομασία; alio loco, προσαγοέρυει ἀσπάζεται : προσαγορεύσας, προσειπὼν : προσαγορεύουσι, καλοῦσι.

Gloſſæ Labbæi veteres; *ſaluto*, προσαγορεύω, ἀσπάζομαι. Sunt & alia ſalutandi verba quæ præterivit Pollux, ut προσπτύσσω, προσεῖπω, &c. quæ pete ex laudato Heſychio.

Harum vero omnium vocum ἀσπασμὸς uſitatiſſima, quæ cæteras ſub ſignificatione ſua comprehendit; ſalutationem oſculo exhibitam hac ſignificari, Viri quidam Docti putarunt; quod quidem aliquando obtinere non negaverim, ut in locis duobus qui nunc ſuccurunt, intelligendum eſſe videtur; nempe apud Plutarchum in Theſeo pag. 5. qui narrata ratione qua ab Ægeo agnitus fuit in convivio The-

ſeus, cui artibus Meduſæ bibendum venenum appoſuerat, addit, τονδὲ υιον ἀνακρίνας ἠσπάζετο, *filiumque poſtquam interrogaſſet ſalutavit*, poſſet bene verti *filiumque amplexus eſt* : & apud Suidam voce ἀσπάζω. Sed certum, ἀσπασμὸν vulgo nil præter ſalutationem deſignare, cum ſoleant Græci de oſculatione vel dextrarum junctione loquentes τῷ ςόματι vel φιλήματι addere, ut ſit τῷ ςόματι, aut, φιλήμασιν ἀσπάζεσθαι: de dextrarum autem junctione ταῖς χέρσιν ἀσπάζεσθαι dicant. Heliodor. lib. 2. pag. Bourdelotianæ editionis 118. ὁ δὲ τῆς χειρὸς ἠσπάζετο.

Qua eadem ratione verbo *ſaluto* Latini utuntur. Apul. Mileſiac. 8. pag. edition. Pricæi 175. *& utcunque metuens, arctius filio ſuo parvulo conſalutato, arreptoque funiculo, mortem ſibi, nexu laquei com-*

comparabat; & alii Auctores quidam quos ad illum locum affert Pricæus; cum tamen ſemper fere, more Græcorum, *ſalutare oſculo*, *ſalutare dextra*, dicant.

Verbi *ſaluto*, ſunt & aliæ notiones; ſumitur interdum pro *conſervo*, quemadmodum *ſalus* ſæpe pro *conſervatione*, Plin. lib. 17. cap. 22. *Sequenti anno Palmites ſalutentur, pro viribus matris, ſinguli, aut gemini*: ſignificat aliquando etiam *adoro*, ut multi jam obſervarunt; Serv. ad Virgil. 3. Æneid. verſ. 524.

Italiam læto, ſocii, clamore ſalutant. Salutant, inquit, *quidam pro adorant tradunt, ut ſalutare Deos.*

Salutationis originem ſtudioſe ſi quis quæſiverit, antiquiſſimam eſſe & vetuſtiſſimis temporibus jam apud omnes gentes uſitatam deprehendet, quod

ſatis patebit, ex auctorum variorum locis, infra allatis.

Cap. II.

Salutandi in acceſſu antiquorum formulæ: formula Hebræorum Pax tibi; *Græci per* χαῖρε *ſalutabant: quid propriè ſignificet oſtenſum. Salutationis hujus ratio ex Euripide.* χαίροις, χαίρειν κέλευω, *aliquando dictum;* ὑγιαῖνε, *priſcorum temporum in acceſſu ſalutatio.* LXX. *Interpretes hunc morem ſunt imitati. Latinorum Formulæ.* Salve, Jubeo ſalvere, *interdum* Jubeo *ſolum, ſæpe* Ave; *de vocis hujus recta ortographia, variæ doctorum ſententiæ conciliatæ;* ave, & ſalve, *promiſcue ab accedentibus uſurpatum.* Ave, *proprie eſt Græcis* χαίροις; *accedentes aliquando per* vale *ſalutati.*

Jam

JAm ſatis, licet breviter, de ſalutandi vocabulis egimus, propius ad rem hoc capite accedendum, & formulæ quibus in acceſſu ſalutabantur Veteres examinandæ ſunt. Ut ex multis ſanctæ paginæ locis in confeſſo omnibus eſt, ſalutatio Hebræorum fuit *Pax tibi*, qua eadem Apoſtolos ſalutat Chriſtus, Joann. 20. comm. 19. ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ λέγει αὐτοῖς, εἰρήνη ὑμῖν.

Uſitata & pervulgata Græcorum formula erat χαῖρε, cui Latinorum *ſalve* reſpondet; proprie ſignificat *gaude*, vel *ave*, ambo hæc enim, idem ſunt. Feſtus voce *Avere. Avere nihil aliud eſt, quam cupere. Argumento eſt avidum, & aviditatem; ex quibus præcipua cupiditas intelligitur, cum ſignificet & gaudere.* Optime Gloſſæ-

Veteres. Χαῖρε, *ave*, *salve*, *gaude*; Hinc & χαῖρε, Græcorum perpetuus imitator Horatius, latine exprimens, proprio nomine *gaudere* scripsit, Epist. 8. libri 1.

Celso gaudere, & bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaque Neronis.

Commentator vetus ad hunc locum, *novo salutationis genere utitur, exprimens Græcum modum* χαίρειν, καὶ εὐπράττειν. Observavit idem, ad eadem verba doctissimus Lambinus. Euripides, Med. vers. 663. hujus salutandi formulæ rationem dat.

Μήδεια χαῖρε, τοῦδε γὰρ προοίμιον
Κάλλιον οὐδεὶς, οἶδε προσφωνεῖν φίλοις.
Medea salve, hoc enim proœmio

Nem

Nemo melius, poteſt compellare amicos.

Antiquiſſimam eſſe, probant Antiqui Scriptores qui ea uſi ſunt: Homerus Iliad. α. verſ. 333.

Χαίρετε κήρυκες, διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν

Salvete Præcones, Jovis nuntii & hominum.

Sophocles. Ajac. Maſtigoph. ὦ, χαῖρ' Ἀθάνα, &c. Ariſtoph. Ran. Act. 1. Scen. 6.

Δι. Βάδιζε δεύρο. Ξα. χαῖρ' ὦ δέσποτα.

Idem Plut. 2. 2. Serv. ad. 8. Æneid. verſ. 597. Varro, de R. R. lib. 2. cap. 5. *At, Q. Lucienus Senator, homo quanvis humanus, ac jocoſus, introiens, familiaris omnium noſtrum,* συνηπειρῶται, inquit χαίρετε.

Imperativi, χαῖρε loco, ſæpe per optativum ſalutabant χαίροις dicentes. Ariſtænet. lib. 1.

Epiſtola 22. θαύτην ὁ χαρίσιος ἰδών, χαῖροις εἶπε Φιλτάτη; Euſtathius de amoribus Iſmeni & Iſmenes, lib. 5. pag. 162. Καὶ πρὸς αὐτὸν γεγονὼς, χαῖροις Σώσενης εἶπε. *Et ad illum accedens, ſalve Soſthenes inquit.*

Jubebant interdum *ſalvere*, χαίρειν ἐκέλευσαν. Heliodor. lib. 2. pag. 94. κατὰ πρόσωπον ὑπαντίασας, πρῶτα μὲν χαίρειν ἐκέλευσε. *A fronte accedens primum quidem illum ſalvere jubebat.* Idem lib. 5. pag. 232. χαίρειν κελεύω σοι ἔφην.

Imo ſe antiquis temporibus τῷ ὑγιαῖνε, quam abeuntium proprie eſſe ſalutationem ſtatim probabimus, in adventu ſalutabant; oſtendit ex veteribus Comicis Lucianus, libello de lapſu inter ſalutandum, pag. editionis Benedicti, 522. ex Alexide. Ὦ δέσποτ' ὑγιαῖνε, ὡς χρόνιος ἐλήλυθας. *O He-*

Here vale ut tarde admodum advenis. Et ex Achæo.

> Ἥκω πεπραγὼς δεινὰ σὺ δ' ὑγίαινέ μοι.
>
> *Venio peracta re gravi, tu vero mihi vale.*

Quem morem videntur secut Septuaginta Interpretes (si saltem ut vulgo feruntur, versionis illius auctores sunt.) qui salutationem Hebraicam *Pax tibi*, accedentis Joabi ad Hamasam, Schemuelis 2. cap. 20. commat. 9. per ὑγιαῖνε vertunt; καὶ εἶπεν Ἰωὰβ τῷ Ἀμεσσαὶ, εἰ ὑγιαίνεις σὺ ἀδελφέ; Ad Latinorum formulas, venio, quorum *salve* pueri norunt. Terent. And. Act. 2. Scen. 1. vers. 18. P A. *Charinum video, salve.* C H. *O salve Pamphile.* Ovid. Metamorph. 14.

> *Salve, virginei flos intemerate pudoris.*

Ter. Heaut. 3. 1. vers. 17. Plaut.

Pſeudol: 1. 5. verſ. 40. Solebant ſæpe addere jusjurandum, ut ſerio ſe ſalutare declararent. vid. Briſſon. de Formul. lib.8. pag. 743. Τῷ *Jubeo ſalvere*, eodem modo quo Græci, ſalutem ſæpe etiam invicem ſibi impertiebant, notiſſimum. Plaut. Prolog. Caſinæ.

Salvere jubeo, ſpectatores optumos,
Fidem qui maximi facitis, & quos fides.

Aliquando, & ſolo *jubeo*. Terent. Andr. Act. 3. Scen. 3 *Jubeo Chremet.*

Sæpiſſime quoque, inter ſe ſalutantes *ave* dicebant, de cujus vocis Ortographia varia eruditi ſentiunt; putant enim quidam, inter quos præcipue Cujac. Obſervat. lib. 1. cap. 5 & Victorius ad Ciceron. Epiſtol. Famil. 8. 16. per aſpirationem *Have* ſcribendum; alii contra, auctoritate Quintiliani nitentes ſimpliciter

citer *ave* ſcribendum cenſent; locus eſt. lib. 1. Inſtit. Orat. cap. 6. *Multum enim literatus, qui ſine aſpiratione, & producta ſecunda ſyllaba, ſalutavit (avere eſt enim.)* firmant & idem multis inſcriptionibus; ſed illi conciliari poſſe mihi videntur, ſi differentiam annotaverimus inter communem loquendi, & inter ſcribendi modum; Inſcriptiones enim multæ vocem hanc aſpirant, in quibus rectam Ortographiam veteres reſpexiſſe, in aliis autem in quibus ſimplex *Ave* reperitur, ſermonis communis ſervaſſe rationem credimus; quod idem indicare Quintilianum puto, dicit enim Litteratos & Doctos non minutiolas illas curare, & *Ave* ſimpliciter malle dicere, quam aſpirare per H, quod auditu ſatis eſt aſperum. Nunc ſic ſe ſalutaſſe antiquos,

teſtibus firmabo. Martial. lib. 9. Epigr. 8.

Dicere de Lybicis, reduci tibi, gentibus, Afer
Continuis volui quinque diebus, Ave.
Non vacat aut dormit, dictum, bis terque reverſo,
Jam ſatis eſt; Non vis Afer avere, vale.

Auſonius Epiſtola 21. ad Paulinum.

Dic & valere, dic Avere te jubet,
Amicus, & vicinus, & fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingenii tui;
Dic & magiſter, dic parens, dic omnia
Blanda, atque ſancta caritatis nomina
Aveque dicto, dic vale & aſtutum redi.

vid.

vid. Sueton. Claud cap. 21. & Martialem passim.

Unde patet, promiscue usurpatum *salve* & *ave* in salutationibus accedentium, *salve* tamen usitatius esse, conjungit ambo Ausonius, Epistola 16. vers. 3.

Perge o Libelle firmium
Et dic, Hero meo, ac tuo
Ave, atque salve plurimum.

Ave exprimunt Græci per χαίροις; Glossæ veteres χαίροις, *Ave.* Sicut autem Græcos ostendimus in accessu τῷ ὑγίαινε aliquando salutatos, sic Romani interdum, adeuntibus per *vale* salutem dicebant; Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Quisquis adest valeat, fruges lustramus, & agros.

Quo tamen loco, *faveat*, legere malunt Eruditi. Auson. supra

Dic & valere, dic avere te jubet, &c.

CAP.

Cap. III.

Græcorum valedicendi formulæ, ὑγιαῖνε, ἔῤῥωσο, χαῖρε, ὗλε, ordine exponuntur. Romani vale *dicere ſolebant; addebant aliquando* vive; *eadem vocabula, ad contemptum uſurpata;* vive, *maledictionis ſignificationem aliquando obtinet; Romani, quandoque in receſſu* ſalve *dicebant. Mortui,* ſalvere juſſi.

SAlvere jubendi formulas excipiunt modi quibus in receſſu antiqui valedicebant; in his exponendis, hoc capite occupabimur. ὑγιαῖνε, ἔῤῥωσο, χαῖρε, ὗλε, diſcedentium formulæ Græcis fuerunt; perſequamur ſingula; ὑγιαῖνε, abeuntium eſſe paſſim occurrit: Arrian. Epict. l. 1. c. 29. Μέχρις ἂν ὁ λόγος αἱρῇ, συνεῖναί με τῷ σώμα-

ματίῳ, ὅταν δὲ μὴ αἱρῇ, λάβετε αὐτὸ καὶ ὑγιαίνετε. Quoad recta ratio, corporis consuetudine, uti me jusserit; cum vero non jusserit, auferte illud corpus, & valete. Declarat aperte Artemidorus, cum ἔῤῥωσο conjungens, quasi eadem significante. Verba sunt lib. 1. capite ultimo; *ἔῤῥωσο δὲ καὶ ὑγίαινε, οὔτε λέγειν, οὔτε ἀκούειν ἀγαθὸν, οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντες τί πράττειν, ταῦτα λέγουσιν ἄνθρωποι. Ἀλλὰ ἀπαλλαττόμενοι ἀλλήλων, καὶ πρὸς ὕπνον τρεπόμενοι. Salvus sis, atque vale, neque dictu, neque auditu jucundum; non enim, sibi invicem obviam facti, neque aliquid agere volentes hæc dicunt, sed abscedentes, vel cubitum euntes.* ἔῤῥωσο, bene cum Artemidoro Hesychius per ὑγίαινε exponit; apud Aristænætum lib. 2. Epist. 15. Chrysis, mulier, vicinam suam Mirynam, discedens τῷ ἔῤῥωσο salutat. Se-

Sequitur χαῖρε, quæ Græcorum recedentium æque ac accedentium ſalutatio fuit; de accedentibus ſupra, nunc de diſcedentibus. Heſychius. χαῖρε ἔςι δὲ καὶ ἀπαλλασσομένων προσαγορευσις. apud Euripidem Iphigen: in Aul. vers. 1509. moritura Iphigenia luci valedicens χαῖρε μοι φίλον φάος. dicit. In ejuſdem Phoeniſſiis vers. 634, Polinices.

> Καὶ σὺ, Φοῖβ' ἄναξ, ἀγυιεῦ,
> Καὶ μέλαθρα χαίρετε
> *Et tu Rex Phœbe viarum publicarum cuſtos & atria valete.*

Vid: eundem Electr. vers. ultimo, ibique Barneſium.

Callimach: Epigrammat: 24.

> Εἴπας Ἥλιε χαῖρε, Κλεόμβροτος, ὡ 'μβρακιώτης
> Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος, εἰς ἀΐδην.
> *Phoebe vale, dicens, de rupe Cleombrotus alta*

Am-

Ambraciota, Stygis vivus adivit aquas.

Οὖλε idem est cum ἔῤῥωσο, χαῖρε, ὑγίαινε, quod si Latine vertas proprie erit *vale*; Hesychius & Suidas, οὖλε, ὑγίαινε.

Romanorum *vale* in digressu nemo nescit; Serv. ad Æneid: Virgil. 2. vers. 789.

Jamque vale & nati serva communis amorem. Recedentis significatio est inquit, *unde & de mortuis dicitur.* Idem ad Æneid: 11. vers. 97. *Ergo cum mortuo vale dicitur, non Etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi a quibus recedimus.* Suet: August: cap, 53. Ovid. Metamorph. 9. vers. 675. Plaut. Rudent. 2, 2. Unde oppositum Τῷ *Ave* habes, loco Ausonii supra allato. Epistol. 21.

Aveque dicto, dic vale, & actutum redi.

& Mar-

& Martial. lib. 9. Ep. 8.

Jam satis est, non vis, Afer avere, vale.

Vive & *vale*, aliquando simul efferebant, ut Horat. lib. 2. sat. 5. vers. 110.

—— Sed me
Imperiosa trahit Proserpina, vive valeque.

Et hinc ortum ut *vale*, χαῖρε ἔῤῥωσο, &c. ad contemptus & maledictionis significationem usurpentur. Serv. 11. Æneid. vers. 97. *hinc ortum est*, (a valedicendo in recessu;) *ut maledicti significationem interdum vale obtineat, ut Terentius, valeant qui inter nos dissidium volunt, hoc est, ita a nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum.* Hesychius χαίρειν ἐᾶσαι, καταφρονεῖν. Lucian. libell. de Laps. inter salutand. pag. 519. Καὶ οὐ μόνον φιλοφροσύνης αὐτοῖς ἦν τοῦτο, (nempe χαίρειν) σύμβολον, ἀλλὰ,

καὶ

καὶ ἀπεχθείας καὶ τοῦ μηκέτι χρήσεσθαι ἀλλήλοις. τὸ γοῦν μακρὰν χαίρειν φράσαι, τὸ μηκέτ' φροντιεῖν δηλοῖ. *Nec solum illis erat benevolentiæ, sed etiam odii symbolum, cum significarent nihil amplius inter se commercii fore; Nam qui longum valere dixisset, innuebat se non amplius curaturum.* Heliodor lib. 7. pag. 359. Τοῖς ἀρχιτρικλίνοις ἡμῖν, καὶ οἰνοχόοις πολλὰ χαίρειν φράσας, ὀρέγει φίαλην. *Nobis architriclinis, & pocillatoribus, multum vale dicens, porrigit phialam.* Antholog. lib 1. cap. 25. Epigrammat. 2.

Ελπὶς καὶ σὺ τύχη μέγα χαί-
ρετε.

Spes & tu fortuna, longum valete.

Thomas Magister. χαῖρε οὐ μόνον ἐπὶ ἡδονῆς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ φθείρεσθαι; ad quæ verba sic Cl. Boschius. *Eadem ratio est Græcæ vocis χαίρειν quæ Latinæ valere. Primo*

mo bene optantis est τὸ χαῖρε & τὸ vale. In quo falli mihi videtur; certum enim χαῖρε si proprie latine reddatur, τὸ *salve* significare, ut ex Glossis ostendimus. Deinde τὸ *vale* nunquam, (exceptis quibusdam Auctorum locis,) bene optantis est sed renuntiantis; vid. Arrian. in Epictet. lib. 2. Cap. 12. & cap. 17. ut & Lucian. Gall. pag. 133.

Observandum in obitu, eodem modo Romanos verbo *vivere*, usos fuisse. Serv. ad. Virgil. Ecl. 8. vers. 58. *vivite silvæ*, interpretatur *valete*, *nam non bene optantis est, sed renuntiantis.*

Quemadmodum autem χαῖρε in digressu sic apud Romanos *salve*, dictum reperio; raro tamen: Apul. Milesiac. 2. pag. edition. Pricæi 24. *Festinus denique & vecors animi, manu ejus, velut cathena memet expedio, & salve propere addito ad Milonis*

lonis hospitium, perniciter evolo. consule ibi Stewechium.

Pari modo discedens, Siciliæ ubi filiam reliquerat vale dicit Ceres, apud Claudian. 1. de Rapt. Proserp. vers. 194.

Talia voce movens, salve gratissima tellus,
Quam nos prætulimus cælo, tibi gaudia nostri
Sanguinis, & caros uteri commendo labores.

Huc refer, & *salve* mortuis, a Veteribus jam jam recessuris dictum; Virgil. 11. Æneid. *salve mi maxime Palla.*

de quo more infra

CAP. IV.

Ad ipsas Salutationes ventum. Salutationum varii ordines: harum antiquissima est quæ in viis fiebat; duplex est, prout æqualibus, aut magnatibus exhibebatur; hoc capi-

pite de æqualium ſalutatione agitur. Nomine amici appellabant ſeſe, imo fratres *inter ſe ſalutabantur; elegans Epigramma ad ſcriptum: idem mos Hebræis uſitatiſſimus, qui proprie omnes populares ſic vocabant. Sed præcipue apud eos, cognati, & omnes ſanguine juncti,* fratres *dicebantur: Senes a Juvenibus* Patres *appellati: Juvenes a Senibus* filii. *Cum plures ſalutarent,* ſalvete *dum modo dicebant Antiqui; vel a* patria *nominabant; aliquando a* munere, *quo fungebantur. Inferiores per* bone vir, *aut quid ſimile, ſalutabantur; inter quos nulla familiaritas intererat, hi* Dominos *ſeſe appellabant: Noti ab adulatoribus ſic etiam ſalutati;* dextrarum *junctio, &* oſculum, *fuit ſalutatio amicorum. utriuſque ſalutationis antiquitas oſtenſa. Pythagoræ dictum exponitur. Hebræi, Perſæ, Romani,*

ni, amicos osculabantur. Thessali, mulieres δεσποῖνας *salutabant; Athenienses, uxores* Κτητὰς, *illæ contra maritos* Κύριυς *appellabant. Idem Hæbræorum mos; quorum vox* Bahal, *simul* maritum *&* Dominum *designat. Romani, uxores* Dominas, *illæ pariter, maritos* Dominos *appellabant. Propinqui, inter se* Domini *salutati. Liberi semper suos parentes osculabantur; oscula pueris apprehensis auribus ingesta; eadem Amantium consuetudo. Romani Cognatas osculabantur: rationes variæ ex Plutarcho.*

TRactatione de formulis absoluta, ad ipsas salutationes progredior, quarum varii modi fuerunt, prout in occasionibus variis usurpabantur: ordine singulas lustrabimus.

Antiquissima, & quæ cogita-

tioni se prima offert, est, quam in viis obviam facti invicem sibi impertiebantur; quæ etiam varia, prout familiaribus & æqualibus, aut Regibus magnatibusque fiebat: salutationem æqualium præmitto, de qua hoc capite disseram.

Amicos & Æquales nomine appellare consueverant Antiqui: festive Lucianus in Gallo, de paupere quodam Simonide qui cum subito dives esset factus, vicinum Mycillum salutantem nequidem respicere dignabatur; loquitur Mycillus; pag. 248. ἔναγχος γοῦν, ἐγὼ μὲν ἰδὼν προσιόντα χαῖρε ἔφην ὦ Σίμων, ὁ δὲ ἀγανακτήσας, εἴπατε ἔφη τῷ πτωχῷ, μὴ κατασμικρύνειν μου τοὔνομα οὐ γὰρ Σίμων, ἀλλὰ Σιμωνίδης ὀνομάζομαι. *Etenim nuper, cum illum procedentem conspexissem, salve inquam Simon. At ille indignatus, edicite inquit mendico, ne meum nomen diminuat neque enim*

nim Simon, sed Simonides appellor. Theagenes Calasirim nomine salutat, apud Heliodor: lib. 4. pag. 168. ὁ δὲ χαῖρε, εἶπεν ὦ Καλάσιρι, καὶ ἄκουε. *Ille vero salve inquit Calasiri, & audi.* Aristophan. Νεφελ. Act. 4. Scen. 2.

Σο. Στρεψιάδην ἀσπάζομαι
Στρ. Κἄγωγε σέ.

Martialis, in Epigrammate notissimo.

Cum te non nossem, Dominum
Regemque vocabam.
Cum bene te novi, jam mihi
Priscus eris.

Tali ἀσπασμῷ Comoediæ plenæ sunt; Terent. Heaut. 3. 1. vers. 17. CHR. *Sed ipsum foras egressum video; ibo, alloquar.*

Menedeme salve.

Idem, Andr. 1. 2. Plaut. Rudent. 2. 3. vers. 6.

Nec tantum, in necessitudinis & amicitiæ notam *nomine* fami-

liares inter se salutabantur, sed & sæpe ut vere amicos & æquales se probarent, *Fratres* sese nuncupabant; hinc apud Phædrum & Fabularum Æsopiarum anonymum Scriptorem, asinus apro obviam factus dignitate æqualis illi videri cupiens, *fratrem* salutat. Phædr. lib. 1. fab. 29.

Asellus apro cum fuisset obvius
Salve inquit, frater.

Anonymus, fab. 11.

Audet asellus aprum risu temptare protervo,
Audet iners forti, dicere frater Ave.

Nolo elegans in hanc rem Epigramma Palladæ, Antholog. lib. 1. cap. 42. Epigr. 3. præterire, quo eodem paulo post utar: sic se habet.

Ην ὁ φίλ☉ τι λάβῃ, δόμινε φράτερ, εὐθὺς ἔγραψεν.
Ην δ' αὖ μήτι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.

Ωνια

Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα.
αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ ἐθέλω δόμινε. οὐ γὰρ ἔχω
δόμεναι.

Vertit Lubinus.

Si amicus quid accipiat, Domine Frater, statim scripsit.
Sin vero rursus non accepit, frater dixit solum.
Venalia enim & hæc verba. verum ego
Non volo Domine: non enim habeo quod dem.

Cujus Epigrammatis elegantia latine reddi non potest, cum in græca ultima voce δόμεναι omnis consistat.

Hinc rustica simplicitate & amicitia, fratres se vocant Pastores Ornitus & Corydon, apud Calpurnium Ecl. 1. v. 8.

Ornit.

Hoc potius Frater Coridon nemus, ista petamus

Antra patris Fauni.

Apul. Mileſiac. 9. pag. 181. *Maritus accenſa lucerna, diſcede inquit frater.* vid. & Juvenal. ſat. 5. vers. 135. Nihil Hebræis uſitatius, in ſanctæ Paginæ loco ſupra allato εἰ ὑγιαίνεις σὺ ἀδελφέ, inquit Joab ad Hamaſam; proprie populares omnes ſic appellabant, unde Jeſus, Matthæi. cap. 5. commat. 47. Καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον, τί περισσὸν ποιεῖτε; *& ſi tantum fratres veſtros amplexi eritis, quid amplius facitis.* Sed præcipue ab Hebræis, cognati, avunculi, nepotes, & ſanguine juncti omnes, fratres dicebantur: ut demonſtrat in eruditiſſimis gallico idiomate notis, ad Matthæum cap. 1. commate 11. venerandus cognatus & Tutor D. Martinus, parentis inſtar, de me bene meritus, quotidie merita augens, cui pro beneficiis in me collatis ſatis

ſatis magnas habere gratias nunquam potero.

Atque ſicut *fratres*, amicitia dignitate & ætate æquales ſeſe appellabant, ſic a Juvenibus ſenes *Patres* dicebantur, & illi contra, adoleſcentes, *filios* ſalutabant. Ulyſſes apud Homerum Odyſſ. η vers. 21. Minervam in virginem converſam filiam vocat.

—— ὁ δ' ἀνείρετο δῖος Οδυσσεὺς
Ω͂ τέκος ἐκ ἄν μοι δόμον ἀνέρος ἡγήσαιο
Αλκινόε. ——

Interrogabat autem divus Ulyſſes
O filia an non mihi domum viri oſtendere poteris
Alcinoi. — reſpondet Minerva, vers. 28.

Τοι γάρ ἐγώ τι, ξεῖνε πάτερ, δόμον ὅν με κελεύεις
Δείξω. ——

Profecto ego tibi hoſpes Pater

 domum

domum quam me jubes
Monstrabo. — Ovid: Metamorph. 10. vers. 467.
Forsitan ætatis quoque nomine filia dicat;
Dicat & illa Pater; - -

Cum vero plures salutarent, vel nullo addito nomine simpliciter *salvere jubebant*, ut apud Terent. Andr. 4. 5. vers. 5.

Sed quos perconter video, salvete.

Et Eunuch. 5, 8. vers. 31.

—— Ph. *Quem ego hic audio*
O Thraso! TH. Salvete.

Vel a patria nominabant, Aristoph. Plut. 2. 1.

Χαίρειν μὲν ὑμᾶς ἐστιν ὦ 'νδρες δημόται.

Et Lysistrat.

Ἄνδρες Λάκωνες, πρῶτα μὲν μοὶ χαίρετε.

Vel quandoque a munere quo fungebantur. Homer. Iliad. α vers. 333.

Χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ

ἠδὲ, καὶ ἀνδρῶν.

Plaut. Rudent. 2, 2. vers. 5.

Salvete fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ;

Si autem ignoto cuidam quem ex habitu inferiorem ſibi crederent obviam eſſent facti, ſalutem ei per *bone vir* vel ſimile quid, dicebant. Ut Calaſiris Piſcatori, apud Heliodor: lib. 5. pag. 231. πλησίασας δὴ χαῖρε εἶπον ὦ βέλτιστε: *Accedens igitur propius, ſalve dicebam vir optime.*

Inter quos, nulla vel parva neceſſitudo intererat, hi ſe *Dominos* ſalutabant: Senecæ locum, ex Epiſtola. 3. quem multi jam viderunt recoquere nolo; Ovid: Metamorph. 9. vers. 758. De Byblide, quæ Caunum fratrem,

Jam Dominum appellat, jam nomina ſanguinis odit.

Refero huc verba Theophraſti, character. 12. de Impuritate; Καὶ καλέ-

σαι ἢ τῶν παριόντων ὀνομαστὶ τινα, ᾧ μὴ συνήθης ἐστί. vertit Casaubonus, *Non etiam dubitat, prætereuntium aliquem, nulla sibi familiaritate junctum, nominatim compellare.* Arrian. in Epictetum, lib. 2. cap. 15. οὐ θέλεις τὰ τοῦ νοσοῦντος ποιεῖν, καὶ τὸν ἰατρὸν παρακαλεῖν. νοσῶ κύριε, βοήθησόν μοι. *Non ea facere vis, quæ sunt ægrotantis, & accersere medicum; ægroto Domine, auxiliare mihi.*

Quos norant aliquando per adulationem parasiti, vel qui sibi quorundam favorem conciliare studebant, aut aliud tale hominum genus, *Dominos* blande salutabant; indicat satis, Palladæ Epigramma supra ex Anthologia adscriptum; Arrian. Epicteti lib. 2. cap. 7. διὰ τοῦτο κολακεύομεν τοὺς μάντεις. Κληρονομήσω κύριε τὸν πατέρα; ἴδωμεν, ἐπεκθυσώμεθα. ναὶ κύριε ὡς ἡ τύχη θέλει. *Propterea, vatibus adulamur, Domine capiamne patris hæreditatem? videamus,*

mus, rem divinam faciamus. Sane Domine ut fortuna volet.

Ipſe ſalutandi inter amicos modus erat, vel dextrarum junctio, vel oſculum: ſalutandi junctione manuum mos antiquiſſimus fuit, quo ut & oſculatione nulla amicitiæ major nota; *dextræ* enim ut inquit Plinius *fidei & benevolentiæ conſecratæ ſunt*, unde amicis, teſtandæ fidei ergo porrigebantur, magnatum vero & optimatum, benevolentiæ captandæ cauſa prehendebantur ut infra apparebit; de amicis hic agimus. Orpheus, ſive Onomacritus, Argument. ſecundo libri de lapidibus.

> Ἠελίῳ γὰρ ἄγων ἱερήϊον, ἀντεβόλησα
> Αγρόθεν, ἄςυ δ' ἰόντι, περίφρονι Θειοδάμαντι.
> Καὶ μιν ἑλὼν χειρὶ χεῖρα, προσηύδων, ὡδ' ἐπεέσσι.

Soli enim, rem ſacram peractu-

rus, obviam veni
Ex agro in urbem redeunti, prudenti Theodamanti.
Et illum apprehensa manu, his verbis affatus sum.

Ennius, apud Nonium, voce *cette*, pro cedite. *salvete optima corpora, cette manus vestras, measque accipite.* Virgil. 8. Æneid. vers. 466. de Evandri & Æneæ congressu.

Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates,
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus. — ubi Serv: *sic enim se Antiqui salutabant.* Horat. lib. 1. Sat. 9. vers. 3.

Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum
Arreptaque manu, quid agis? dulcissime, rerum.

Plaut. Aulular. 1. 2. vers. 37. Heliodor. lib. 2. pag. 118. Ex quo more,

more, explicandum dictum Pythagoræ, apud Plutarch: de liber. educand. pag. 12. μὴ πάνλι ἐμβάλλειν δεξίαν.

Transſeo ad oſcula, quibus ſæpiſſime ſe ſalutabant. Hæc quemadmodum dextarum junctio, amicitiæ & benevolentiæ captandæ ergo dabantur. Antiquiſſimus eſt oſculo amicos excipiendi ritus, quippe qui Hebræis Davidis temporibus & ante, in uſu; quibus illud peculiare, quod barbam dum oſcularentur arriperent: notum ex hiſtoria Joabi, qui Hamaſam ſic ſalutans, interfecit, 2 Samuel 20. commat. 9. Amicos apud Perſas oſculo ſolitos ſe excipere docet Strabo, lib. 15. τῶν κατὰ τὰς ὁδὲς συναν]ώνlων, τὲς μὲν γνωρίμες καὶ ἰσοτίμες φιλἒσι, προσιόνlας, &c. Eadem Herodotus lib. 1. & Zenobius ſeu Xenodotus, Proverbiorum Centur. 5. Proverb. 25. quem ex

alterutro horum verba ſua exſcripſiſſe manifeſtum eſt. Longus Paſtoral. lib. 3. pag. edit: Mollianæ, 74. μέγα δὲ βοήσας χαῖρε ὦ παῖ, περιεπλέκετο καὶ κατεφίλει, καὶ περιῆγεν ἔσω, λαβόμενος. *Magnaque clamans voce ſalve fili, amplexabatur & oſculabatur, manuque prehenſa introduxit.* In quo loco, omnes ſalutationis amicorum ritus fere deprehenduntur; ſenior juvenem *filium* ſalutat, *oſculatur*, & ſimul *dextram jungit.*

Romanis oſcula tam crebra fuerunt ut prohibuerit edicto Tiberius. Sueton ejus vitæ, cap. 34. *Quotidiana oſculo prohibuit edicto.* ubi vide doctiſſimum Torrentium: non ſecus tamen redinvaluit idem mos, ut ex Martiali multis in locis clarum eſt: præcipue lib. 12. Epigr. 59.

Tantum dat tibi Roma baſiorum,
Poſt annos modo quindecim reverſo,
Quan-

Quantum Lesbia non dedit Catullo
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo Colonus.
Hinc instat tibi textor, inde Fullo;
Hinc Sutor, modo pelle basiata.

passim idem, ut lib. 2. Epigr. 10. & 12. &c. quem ritum respicere mihi videtur Julian: Misopogone. ὑπὲρ δὲ τῦ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν, ἥκιστα ἀλγῶ. *Nam de dandis accipiendisve osculis, nihil laboro;* quod apparebit, si legeris sequentia.

Ad salutationes familiarium & æqualium modi varii quibus in salutatione sese excipiebant Propinqui pertinent, de quibus nunc nobis agendum venit.

Et primo differendum esset, de modo quo mariti & uxores, salutem sibi invicem dicebant, qua nos provincia maximam partem levavit celeberrimus Menagius, doctissimo in hanc rem capi-

te

te 25 Amœnitat Juris. cujus verba hic quædam afferre & nonnulla addere abs re non omnino videtur.

„ Notat ergo primo, Thessalos
„ quaslibet mulieres δεσποίνας vocitasse; Atheniensium non eandem
„ fuisse consuetudinem addens, apud quos mariti quidem ab uxoribus κύριοι, uxores contra a maritis κτηταὶ *famulæ* appellabantur. Hebræis fere eadem consuetudo, legimus enim Saram Abrahamo marito in omni re quasi famulam paruisse, *Dominique* nomine insignivisse. Petr. 1. Epistol. cap. 3. commat. 6. ὡς Σάῤῥα ὑπήκουσε τῷ Ἀβραὰμ, Κύριον αὐτὸν καλοῦσα, ἧς ἐγενήθητε τέκνα. *Sicut Sara obedivit Abrahamo, Dominum suum appellans, cujus estis filiæ.* Observandum insuper quod ad rem maxime facit, meque in æternum colendus cognatus Martinus monuit,

nuit, Hebraicam vocem *Bahal*, quæ *Dominum* ſignificat, itidem *maritum* deſignare.

„ Annotat deinde Cl. Menagius, „ Matronas Romanas a ſuis mari- „ tis *Dominas* audiviſſe, & illas pa- „ riter *Dominos* ſalutaſſe ſuos mari- „ tos;atque tali etiam modo cogna- „ tas a propinquis fuiſſe appellatas: quæ adeo docte ex auctoribus firmat ut inutile videatur aliquid addere. Attamen quoniam aliorum ſcripta non exſcribo, has ex Reineſio Inſcriptiones ipſius probationibus adjungam. prima eſt claſſe 14. Inſcript. 146.

D. M.
L. VIRGINIO. VIRGINIANO
A. MILITIIS. DOMINO
MARITO. SANCTISSIMO.
GAUNIA. TARSIS
FECIT. ET. SIBI.

Fa-

Faciunt huc verba Non Marcell. cap. 5. *Dominus, Maritus.* nempe, dicitur. Virg. Æneid. IV. *Connubia nostra reppulit ac Dominum Æneam, in regna recepit.* vid. Passerat. ad. Catull. Carm. in Nuptias Juliæ & Manlii. 62. verf. 31. Eadem Classe Inscript. 193.

CANINIÆ. MARCELLINÆ
SANCTISSIMÆ CONJUGI QUÆ
VIXIT ANN. XXIII. M. I. D. VIIII.
T. VILLIUS CHARITINUS
CONIUX DOMINÆ.

Sororem frater sic appellat eadem Classe. Inscript. 191. ultimis verbis.

LO-

LOCUS IMPERATUS A
DOMINA MEA
AELIA. ARISTOBOLA
SORORE
ALEXANDRIÆ.

Imo pater a liberis, filius a parentibus.
Claſſ. 20. Inſcript. 329.

DOMINO PATRI JUBILATORI
CELERINUS FILIUS FECIT
IN PACE.

Eadem Claſſe Inſcript. 141.

DOMINO FILIO INNOCENTISSIMO. &c.

Nunc ad reliquas Propinquorum ſalutationes.

Li-

Liberi, semper suos parentes osculabantur; sic Chariclia apud Heliodor. lib. 3. pag. 140. Κ'αϖειδὴ τὸν πατέρα, τὰ εἰωθότα περιεπλύξατο. *Postquam patrem solito more amplexu excepisset.* Idem rursus, pag. 157. quod forsan respexit Virgil. lib. 1. Æneid. vers. 260.

Oscula libavit gnatæ, dehinc talia fatur.

Pueros, parentes & alii dum oscularentur, malis vel auribus prehendebant. Suet. Galb. cap. 4. *Constat, Augustum puero adhuc, salutanti se inter æquales apprehensa buccula dixisse,* &c. Osculum hoc Græcis dicitur χύτρα; neque tantum pueros sic osculabantur, sed & sic amantes se salutabant; omnia quæ ad hoc pertinent & modum quo fieret doctissime exponunt Guliel. Canter. Nov. Lect. lib. 6. cap. 25. Marcell Donat. ad Sueton. Tiber. cap. 34. Barnes.

nes: ad Euripid. Supp. verſ. 1100. & alii. Ita ut nihil niſi actum agerem, ſi poſt tot eruditos in medium aliquid proferre conarer.

Generis non abſimilis eſt ſalutatio quam Romani cognatis mulieribus oſculo exhibebant. Suet. Cæſ. cap. 13. *Cum mane ad comitia deſcenderet, prædixiſſe matri oſculanti, domum ſe niſi Pontificem reverſurum.* Rationem dat Arnob. contra gentes lib. 2. *Affinibus, & propinquis oſculari eas jus eſt, ut ſobrias comprobent atque abſtemias eſſe*; hanc eandem affert Ælian. Variar. lib. 2. cap. 38. & Plutarch. Quæſtionib. Roman. ubi & alias adducit, quas apud eundem in principio ſtatim Romuli, & libro de virtutibus mulier. pag. 243. reperire poteris.

CAP.

Cap. V.

Salutatio magnatibus in viis facta; apud Hebræos, Græcos, Romanos, assurgere illis solitum; observata Juliani ex Homero imitatio; Assurgere *pro quovis honore quem alicui deferimus, sumitur. Magnatibus e via decessum. Lictores turbam Romæ obvio Magistratui summovebant; Matronæ solæ & mariti earum cum essequo veherentur cum eis non summoti: Matronis ipsis Romani viam cedebant; Aurigæ apud barbaras gentes, Regi quem vehebant e via cedendum solebant clamare; Alii honores quibus potentes in viis afficiebantur ex Lipsio annotati. Nobiliores, ab inferioribus* Domini *salutati. Romani, aliquem honorifice salutaturi, prænomine appellabant; Nobiliores contra*

contra in favoris notam inferiores nomine vocabant; Potentes corpore incurvo salutari soliti. Dextra eorum arrepta; aliquando osculo petita; os eorum sæpe osculabantur inferiores: Persis idem mos. Interdum simul dextra arrepta, & oscula ei ingesta: Luxuriosi divites secum in viis habebant servum, qui salutantes resalutaret.

SEquuntur salutatio & honores, magnatibus & nobilibus viris in viis delati; in quibus quædam quoad faciendi modum, amicorum & æqualium salutationi similia deprehenduntur, quorum tamen longe alius erat finis: manuum junctio enim & oscula, ab æqualibus amicitiæ ergo adhibebantur, ab inferioribus vero, optimatibus in obsequii notam dabantur; de his suo dicetur ordine ab

ab assurrectione, cessione viæ &c. incipio.

Assurgendi igitur in honorem Potentiorum consuetudinem Hebræis, (uti in multis Bibliorum locis videre est;) Græcis, Romanis, cæterisque populis, fuisse ex ipsa natura fluit, ita enim comparatum est ut instinctu innato, ab inferioribus potentes & nobiliores, honore afficiantur; Pausanias lib. 8. cap. 50. pag. 701. Καὶ γὰρ Θεμιστοκλέους, ἐς τιμὴν, ἐπανέστη τὸ ἐν ὀλυμπίᾳ θέατρον. *Nam in Themistoclis honorem, assurrexit in olympicis, omne theatrum.* Ex quo ritu, Homerus vel quisquis sit, Hym. in Apollinem. vers. 4.

Καὶ ῥά γ' ἀναΐσσουσιν ἐπισχεδὸν
ἐρχομένοιο
Πάντες ἀφ' ἑδράων, ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει.

Et utique assurgunt, prope advenienti

Omnes

Omnes a ſedibus, quando præclaros tendit arcus. &c.

Et Julian: Cæſaribus. ἐπεὶ καὶ πρὸς τὴν παρουσίαν τοῦ πατρὸς ἐξανιστάμενοι, παρατείνουσι οὐδαμῶς τὰς καθέδρας. *Quamobrem cum venienti patri aſſurgunt, nullo modo, ſedilia commovent.* quæ verba, ni fallor ex Homero imitatus eſt, Iliad. α vers. 534.

— Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἀνέσταν
Ἐξ ἑδέων, σφοῦ πατρὸς ἐναντίον οὐδέ τις ἔτλη
Μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ' ἀντίοι ἔσταν ἅπαντες.

— *Dii vero omnes ſimul aſſurrexerunt*
Ex ſedibus, ſuo patri obviam. & nullus ſuſtinuit
Expectare venientem, ſed obvii ſteterunt omnes.

De Romanis. Sueton: Veſpas. cap. 13. *Demetrium Cynicum ſibi in itinere obvium poſt dominationem, ac neque aſſurgere, neque ſalutare ſe dignantem*

nantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit canem appellare. Claudian. de laudib. Stilicon. lib. 1. vers. 48.

— *Qua cumque alte graderere-*
ris in urbe,
Cedentes spatiis, assurgentesque
videbas; &c. —

Et hinc ortum, ut *assurgere*, pro quovis honore qui tribuitur alicui, sumi cœperit. Virgil. Ecl. 6. vers. 66.

Utque viro, Phœbi chorus
assurrexerit omnis.

ubi Servius. *Assurrexerit h. e. honorem præbuerit: ut, Tmolus & assurgit cui Rex ipse Phaneus, id est cedit.* Idem ad hunc versum, *Tmolus & assurgit &c.* Georgic. 2. vers. 98. *Assurgit*, inquit, *cedit significat, quod tractum est a sedentibus qui in honorem alicujus assurgere consueverunt.*

Decedendum insuper e via erat obviam venienti Magistratui, vel nobili

nobili viro. Claudianus, ſtatim allatis verbis.

Cedentes ſpatiis, aſſurgenteſque
videbas.

feſtive Mercurius apud Plautum, in Amphitruone, Act. 3. ſcen. 4.

Concedite atque abſcedite, omnes de via decedite,
Nec quiſquam tam audax nunc fuat homo qui obviam obſiſtat mihi.
Nam mihi quidem hercle quî minus liceat Deo, minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam ſervulo in Comoediis?
Ille aut navem ſalvam nuntiat, aut irati adventum ſenis.
Ego ſum Jovis dicto audiens; ejus juſſu nunc huc me affero,
Quamobrem mihi magis par eſt via decedere, & concedere.

Ælian. lib. 3. cap. 21. εἶτα προσιόντος Πεισιστράτου, ὁ παιδαγωγὸς ἔφη τῷ Θεμιστοκλεῖ μικρὸν ἐκχωρῆσαι τῆς

ὁδȣ̃ προσάγοντος τȣ̃ τυράννȣ. Ita tunc obvio Pisistrato, Pædagogus dixit Themistocli de via decederet paulùlum, Tyranno accedente. Theophrastus, Charactere tertio, optime adulatorem exprimit, in via adversus nobilem cui blanditur lictoris munere fungentem. Καὶ τȣ̃ς *ἀπαντῶντας ἐπιςῆναι μικρὸν κελεῦσαι, ἕως ἂν αὐτὸς παρέλθῃ. In via si qui fiant obvii, sistere gradum jubet, donec ille transierit.*

Vulgare nimis Romanos Magistratus Lictores habuisse, qui præirent, turbam summoverent, & de via Consuli, vel Prætori, decedere juberent, ut probatione egeat; non æque notum, mulieres solas, vel maritos essequo cum uxoribus sedentes a Magistratibus non summotos. Festus in *Matronæ. Matronæ magistratibus non summovebantur, ne pulsari contrectarive viderentur, neve gravidæ*

con-

concuterentur; Quam etiam causam ait Verrius. Neque earum viros cum uxoribus sedentes, de essequo descendere coactos a magistratibus; quod communi vehiculo vehitur vir, & uxor. eadem Paulus Festi mutilator. Imo Matronis idem qui optimatibus honor e via cedendi, delatus. Plutarch. in Romulo pag. 30. ἄλλα μὲν τοι, πολλὰ ταῖς γυναιξὶν εἰς τιμὴν ἀπέδοκαν: ὧν καὶ ταῦτά ἐστιν. ἐξίστασθαι μὲν ὁδοῦ βαδιζούσαις. *Quamvis multa constituerint in honorem fœminarum; ex quibus hæc sunt, decedere illis via. &c.*

Apud alias gentes, loco Lictoris, Auriga suo ad summovendum e via Populum Reges uti consueverant. (cum enim in publicum prodirent, quod raro accidebat, pedibus nunquam incedebant, sed curru vehebantur;) sic ignotum Orestem de via cedere jubet Auriga Laïi, apud Euripidem. Phœniss. vers. 40.

Καὶ νιν κελεύει Λαΐȣ τροχηλάτης,
Ω ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο.
Et Auriga Laii compellat eum;
O hospes, cede de via Tyrannis.

Aliis multis honoribus insuper magnates afficiebantur; illis si caput esset opertum aperiebatur; equitantes, ex equo desiliebant; gladium habentes eum deponebant: quæ omnia, quoniam eruditissime describit Lipsius, Elector. 1. cap. 23. repetere nolo. vid. & Boniface. Histor. Ludicr. lib. 4. cap. 22.

Inferiores, cum potentes salutarent, *Dominos* appellare solebant. Theophrast. character. de impudentia. 9. *καὶ εἰπεῖν ἀκȣόντων πάντων, ἐνωχȣ̃ τίμιε. & dicere in omnium auribus, Tu vir honeste, epulare hilariter.* ad quæ verba omnino consulendus Casaubonus, qui ex

ex Euripidis duobus locis idem demonſtrat. Lucian. Gallo. Καὶ ἐγὼ μὲν προσειπὼν, αὐτον ὥσπερ εἰώθειν δεσπότην ἀπηλλαττόμεν. *&* *ego illum ut ſemper Dominum ſalutans, recedebam.* vide & Arrian. in Epictet. lib. 3. cap. 26. Antiquiſſimus eſt Hebræorum idem mos; ſic Geneſ. 19. vers. 2. *Et dixit* (Lot ad Angelos) *ecce Domini mei, divertite in diverſorio, ſervi veſtrûm;* vertunt ſeptuaginta Interpretes, ἰδοῦ Κύριοι ἐκκλίνατε &c.

Notatione hic dignum, quod vir undequaque doctiſſimus Turnebus Adverſar. 2. cap. 19. obſervavit; Romanos cum honorifice aliquem quaſi liberum ſalutare vellent, eum prænomine ſalutaſſe; & nomine appellare contra, fuiſſe maxime familiarium. quod firmat Taciti locus, Annal: 12. cap. 41. *Obvii inter ſe, Nero Britannicum nomine, ille Domitium,*

ſalutavere ; quod ut diſcordiæ initium , Agrippina multo queſtu ad maritum defert. Sed illud de potentium ſalutatione inter ſe, vel de ea quæ nobilibus exhibebatur, intelligendum, non de nobilium ad inferiores ſalutatione; ſecus enim, favoris nota erat cum potentium quis inferiorem nomine vocaſſet: quod a multis ex Servio ad 1. Æneid. Virg. jam animadverſum eſt, præſertim ab ampliſſimo doctiſſimoque viro Gisberto Cupero; Obſervat lib. 4. cap. 8. ad quod referenda etiam, infra adſcripta verba Suetonii, in Auguſt cap. 53. *Die ſenatus, nunquam patres; niſi in curia ſalutavit & quidem ſedentes , ac nominatim ſingulos.* Idem Servius, eodem libro verſ. 80. *Inferioris perſonæ , reverentia eſt, majorem meritis appellare, non nomine; contra majoris eſt, minorem nomine tantum vocare : qui*

ordo

ordo, *non nisi per indignationem corrumpitur*. Hinc candidati, quo sibi civium animos conciliarent *nomine* eos *salutare* consueverant, uti notissimum.

Nobiles præterea venerabantur antiqui corpore incurvo, qua consuetudine nil Persis usitatius; norunt omnes qui sanctam paginam evolverunt, & præcipue librum Estheræ. Sic etiam Lot Angelos salutat, statim laudato capite, commate primo. vide 2. Samuel. 15. commat. 5. Lucian. in Gallo, de Simone repente divite facto, ὑφ' ἁπάντων προσκυνούμενος, οὐδὲ προσβλέπων ἔτι ἡμᾶς. *Et ab omnibus adoratur*, *jamque nos ne aspicit quidem*. Idem, eodem Dialogo. Τοῦτο ἀκούσας ἐγὼ προσκυνήσας, ἀπῄειν. *Hoc ubi audivissem*, *adorato eo discedebam*. addo Arnobium lib. 7. *Ut si quispiam*, *viso potentissimi nominis, atque auctoritatis viro, via decedat*

dat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat; tum deinde salutet; acclivis ancillæ, aut servi pavibundas trepidationes imitatus; video quid agatur in hujusmodi honorationis officio, summissione alterius, datur alteri plurimum. Quem locum, etiamsi video Lipsium & alios laudasse, non tamen adscribere inutile duxi, quoniam omnes exhibitos magnatibus honores quasi fasciculo comprehendit; de Regum adoratione agendi hic esset locus, sed ad sequens caput de salutatione Regum rejicio.

Dextram præterea potentium arripere solebant, in qua, ut diximus benevolentiam sedem credebant habere; ex Apuleii hoc in Floridis.lib.4 loco, multi jam viderunt. *Si quem interea conspicantur ex principalibus viris, nobilem hominem, bene consultum, bene cognitum, quanquam oppido festinant,*

ta-

tamen honoris ejus gratia, cohibent cursum, relevant gradum, retardant equum, & illico in pedes desiliunt. Fruticem quem verberando equo gestant, eam virgam, in lævam manum transferunt; itaque expedita dextra adeunt, ac salutant. Serv. ad Virgil. Æneid. I. vers. 412.

Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus, cur dextræ jungere dextram,
Non datur. —

hæc observat. *Majorum enim, hæc fuerat salutatio, cujus rei τὸ αἴτιον.* h. e. *causam, Varro Callimachum secutus exposuit: asserens omnem eorum honorem dextrarum constitisse virtute, ob quam rem, hac se venerabantur corporis parte;* maximum sibi decus, patris dextram tangere, ducit Reguli filius, apud Silium lib. 3. vers. 415.

Heic alto juvenis gemitu, la-

crymisque coortis
Magne parens inquit, quo majus numine nobis
Tarpeia nec in arce sedet; si jura querelis
Sunt concessa piis, cur hoc matrique mihique
Solamen? Vel cur decus hoc o dure negasti;
Tangere sacratos vultus, atque oscula ab ore
Libavisse tuo, dextram mihi prendere dextra
— *Non licitum!* —

Neque nobilium tantum manus arripiebant, sed & osculabantur; quod servile admodum ex Arriano in Epictetum, docet Lipsius; nihilominus tamen, διὰ κολακείας saepe factum; vid. F. Luisin. Parerg. 2. cap. 19. Sueton. Domitian. cap. 12. *Cænidi, patris concubinæ, ex Istria reversæ, osculumque ut assueverat offerenti, manum præbuit.* vide

de ibi Torrentium & Marsilium. ut & Barth. ad. Claudian 2. in Ruffin. vers. 443. Sed hæc de Romanis tantum intelligenda, Græci enim sæpe in amicitiæ signum oscula dextris ingerebant; ut ex Apollonio Rhodio, & aliis, demonstrat vir non vulgaris eruditionis Bourdelotius, ad Heliodor. lib. 5. pag. in notis 97.

Ori sæpe etiam figebant oscula, quod ut amicitiæ, sic & demissionis indicium. Martial. lib. 11. Epigr. 99.

Non consulatus ipse, non tribunatus
Sævique Fasces, nec superba clamosi
Lictoris, abiget virga basiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli, jura gentibus reddas;
Adscendet basiator, illa atque illa.

 Vi-

vide & Suet. Tiber cap. 10.

Hac obſequi & honoris nota, afficiebant etiam ſuos magnates Perſæ, Strabo loco ſupra laudato lib. 15. Τῶν κατὰ τὰς ὁδοὺς συναντώντων, τοὺς μὲν γνωρίμους καὶ ἰσοτίμους φιλοῦσι προσιόντας, τοῖς δὲ ταπεινοτέροις, παραβάλλουσι τὴν γνάθον καὶ δέχονται ταύτῃ τὸ φίλημα. Οἱ δ' ἔτι ταπεινότεροι, προσκυνοῦσι μόνον. *Si notis & æqualibus, in via occurrant eos oſculantur; ſi humilioribus genam eis præbent, eaque oſculum excipiunt: qui humiles admodum ſunt, adorant tantum.*

Aliquando ſimul & dextram arripiebant, & oſculabantur; quali modo Hydaſpem Regem ſalutant Gymnoſophiſtæ, apud Heliodor. lib. 10. pag. 461. μικρὸν δὲ καὶ πρὸ τῆς ὀργάδος ἐντυχόντες οἱ Γυμνοσοφισταὶ, δεξίας τε ἐνέβαλλον, καὶ φιλήμασιν ἠσπάζοντο. *Aliquantum autem ante campum ſacrum obviam*

am progressi Gymnosophistæ, dextras que jungebant, & salutabant osculis. Quod tamen raro, & nisi in quadam peculiari occasione, ut hic adventu Hydaspis, factum;

De luxuriosorum divitum fastu, vix salsissimum Luciani locum præteribam, illos perstringentis quibus demissa nulla satis erat salutatio; in Nigrin. pag. 35. Οἱ δὲ σεμνότεροι, καὶ προσκυνεῖσθαι περιμενόντες οὐ πόρρωθεν, οὐδ' ὡς Πέρσαις νόμος, ἀλλὰ δεῖ προσελθόντα, καὶ ὑποκύψαντα, καὶ πόρρωθεν, τὴν ψυχὴν ταπεινώσαντα, καὶ τὸ πάθος αὐτοῦ ἐμφανίσαντα, τῇ τοῦ σώματος ὁμοιότητι, τὸ στῆθος, ἢ τὴν δεξιὰν καταφιλεῖν. Ζηλωτὸν καὶ περίβλεπτον, τοῖς μηδὲ τυγχάνουσιν. *Quidam vero, fastuosiores, etiam se adorari patiuntur, non e longinquo, neque Persico more; sed necesse est propius accedentem, & oculos submitentem, animumque e longinquo demitentem, illiusque affe-*

fectum, *corporis similitudine declarantem*, *pectus aut dextram dosculari* ; *quod beatum & admirandum videtur iis etiam*, *qui honorem hunc*, *nunquam assequuntur*. Ex quibus verbis annotare licet, quam vilis & abjecta habita fuerit Romanis dextrarum osculatio, cui adorationem Persicam præfert Lucianus ; non mirum tamen, illud a salutantibus extorsisse tales fastuosos, qui cum salutarentur non ipsi ullos resalutare solebant, sed habebant servos comites, quorum unicum opus erat nomine Domini prætereuntes resalutare, quos, si ipsi tantum respexissent, maximo honore dignabantur. Lucian. ibidem, verbis statim præcedentibus. Τὸ δὲ καινότατον, τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλοτρίᾳ φωνῇ προσαγορεύοντες ἀγαπᾶν ἀξιοῦντες, ὅτι μόνον αὐτοὺς προσέβλεψαν. *At quod omnium est absurdissimum*, *etiam ob-*

vios

vios aliena voce ſalutant, & hoc contentos eſſe volunt, ſi ſolum ipſos aſpexerint. Juvenal. Satyr. 3. verſ. 185.

> —— *Quid das ut Coſſum aliquando ſalutes?*
> *Ut te reſpiciat, clauſo Vejento labello.*

vide ibi Grangæum.

CAP. VI.

Salutatio Regum duplex, publica, & privata: Reges, cum crearentur ſalutati; Perſæ, Regem creatum, adorabant: poſtremis temporibus, idem Romanorum mos; cur Reges adorarentur, expoſitum? Primus apud Perſas Cyrus, primus apud Romanos Caligula, adorari ſe juſſit. Antiquorum opinio, Regibus aliquid divini ineſſe, & exinde adorari debere, ſibi perſuadentium: Perſæ Reges, pro Deis habebant. privata, Regum ſalutatio. Perſarum, Reges ſa-

ſalutandi formula, Rex in æternum regnes. *Romanorum*, Ave Imperator. *A Perſis, ſalutatio, per* προσκύνησιν *Regibus exhibita; apud eoſdem, Reges ſalutem reddituri, deponebant Tiaram: Modus adorandi exponitur. Perſis, alium, quam ſuum Regem, adorare vetitum. Adorantes aliquando genua oſculabantur. Eadem, Orientalibus Populis, adorandi Reges conſuetudo: Romanorum non idem mos, niſi ſub Imperatoribus quibuſdam faſtuoſis; Caligula primus adorari voluit: idem Helagabalus, & Diocletianus, juſſerunt. Purpuræ oſculatio ſub poſtremis Imperatoribus: Tyranni quidam, ſalutantibus* pedes oſculandos *porrexerunt.*

A Salutatione potentium, ducimur ad ſalutationem Regum:

quam bifariam considerabimus, prout illis publice, vel prout, privatim, h. e. in aula exhibita fuerit. A prima, quæ Regibus dum Regnum susciperent fieri solebat, incipio; hoc satis indicant locutiones istæ, *Rex salutatus est a militibus, a populo*, &c. Sueton. Claud. cap. 10. *Latentem, discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, e studio sciscitandi quinam esset, agnovit; contractumque & præ metu ad genua sibi accidentem, Imperatorem salutavit.* Salutatio illa, in acclamationibus & plausu totius Populi, *salve Imperator*, vociferantis, consistebat; Herodian. l. 2. cap. 8. Τοιαῦτα δὴ, λέγοντος τοῦ Λαίτου, μὴ κατασχὼν ἑαυτὸν ὁ δῆμος, μελλόντων, καὶ ὀκνούντων ἔτι τῶν στρατιωτῶν, Σεβαστόν τε ἀναγορεύει, καὶ πατέρα καλεῖ, πάσαις τε γεραίρει εὐφημίαις. *Hæc dicente Læto, se non continens popu-*

populus, cessantibus adhuc, & dubiis militibus, Augustum declaravit, & patrem vocavit, omnibusque honoravit acclamationibus. Idem, rursus eodem libro, cap, 10. ἐπεὶ ἦ αὐτὸν, ἅμα τῷ ἐπιφανῆναι, πάντες ὁμοθυμαδὸν εὐφήμησαν, Σεβάσμιόν τε, καὶ βασιλέα, προσηγόρευσαν; *simul atque illum videre, omnes unanimiter acclamarunt; Augustumque, & Imperatorem salutarunt.* Atque inde, hæc militum ironia in Jesum, χαῖρε ὁ βασιλεὺς, τῶν Ἰουδαίων.

Regem, cum crearetur, adstantes adorabant, in primis Persæ; Valer. Maxim. de Dario, lib. 7. cap. 3. *Auditoque eo,* hinnitu equi, *sex reliqui summæ potestatis candidati, continuo equis delapsi (ut est mos Persarum,) humi prostratis corporibus, Darium Regem salutaverunt.* eadem de eodem Dario, Herodotus, lib. 3. cap. 86. οἱ δὲ καταθορό-

θορόντες ἀπὸ τῶν ἵππων, προσεκύνέον μὲν τὸν Δαρεῖον ὡς βασιλῆα. interpratur Valla, *cæteri ex equis desilientes, Darium adoraverunt quasi Regem.* Posterioribus temporibus idem Romanorum mos. Vopisc. Procul. cap. 12. pag. edit. in 8vo 761. *Nam quum in quodam convivio, ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exiisset, quidam non ignobilis scurra, Ave inquit Auguste, allatque lana purpurea, humeris ejus ingessit, eumque adoravit.*

De adoratione Regum privata adhuc erit infra agendi locus, nunc cur veteres tali honore suos Reges venerati sint, & unde mos emanarit exponendum. A Persis, & Barbaris, adorandi ritus ad cæteras gentes defluxit. Primus omnium adorari se jussisse fertur Cyrus, & ab eo hunc morem Persis Medisque remansisse. Callisthenes, apud Arrian. de Expedi-

pedition. Alexandr. lib. 4. pag. editionis Blancardi. 266. in nobili hac, adverſus adulatores qui more Perſarum, Alexandrum adorandi conſuetudinem introducere volebant, Oratione. εἰ δὲ ὑπὲρ Κύρου τοῦ Καμβύσου λέγεται τὸν πρῶτον προσκυνηθῆναι ἀνθρώπων Κῦρον, καὶ ἐπὶ τῶδε ἐμμεῖναι Πέρσαις τε καὶ Μήδοις τήνδε τὴν ταπεινότητα. &c. *Si vero de Cyro Cambyſis filio dicitur, primum omnium mortalium, Cyrum ab hominibus cultum adoratione fuiſſe, atque ab hoc, ſummiſſionem hanc, Perſis & Medis permanſiſſe. &c.*

Romanorum adorari ſe primus paſſus eſt Caligula ut ſtatim docebitur. Cur? autem crederent antiqui adorandos eſſe Reges, ratio eſt, quod divini aliquid ineſſe illis putarent. Arrian. in Epictetum lib. 3. cap. 26 διὰ τοῦτο καὶ ὡς θεοὺς αὐτοὺς (βασιλεῖς) προσκυνοῦμεν: ἐννοοῦμεν γὰρ ὅτι τὸ ἔχον ἐξουσίαν, τῆς μεγί-

μεγίϛης ὠφελείας θεῖόν ἐϛιν. *Itaque, tanquam ipsos Deos illos adoramus, sic enim statuimus, in cujus potestate amplissimum beneficium sit, id divinum quiddam esse.* & inde Gallus, apud Lucianum, Dialogo ejusdem nominis, quam splendide vixisset dum obtineret Regnum narrans, hæc inter alia dicit: ὥϛε ὁπότε προΐοιμι, οἱ μὲν πολλοὶ προσεκύνουν, καὶ θεόν τινα ὁρᾷν ᾤοντο. *Itaque cum prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri se rati.* Idem de Regibus Persarum refert Zenobius, centur. 5. Proverb. 25. καὶ τοὺς βασιλεῖς ἑαυτῶν, ὡς θεοὺς προσκυνοῦσι. *Regesque suos, tanquam Deos, adorant.*

Ad privatam Regum salutationem venio. Persarum, Reges salutandi formula erat, *o Rex in æternum regnes.* Ælian. 1. variar. cap. 32. βασιλεῦ φησὶν Ἀρτάξέρξη, δι' αἰῶνος βασιλεύοις. *Rex inquit Artaxer-*

taxerxe, regnes in æternum. Eandem Hebræorum formulam esse, ex Sacro Sanctis Bibliis patet, vid. Daniel.2.commat.4. Romanorum fuit, *Ave*, vel *salve Imperator.* Suet. Claud. cap. 21: *Sed cum proclamantibus Naumachiariis, Ave Imperator, morituri te salutant.* &c. Notissimum Cæsaris acroama, apud Plutarchum, ad Fulvium qui secretum suum uxori vulgaverat. εἰπόντος χαῖρε Καῖσαρ, ὑγίαινε εἶπε φοῦλβιε.

Cum autem, salutem sibi invicem dicerent Reges, in amicitiæ, & æqualis potestatis notam, *fratres* appellare sese solebant. Amm. Marcellin. lib. 17.cap.5. *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari, fratri meo, salutem plurimam dico*: consule ibi doctissimum Valesium.

Persis & Orientalibus Populis, salutandi actus semper erat ***adoratio,***

tio, *προσκύνησις*. Sic accerſitus ab uxore Satrapæ Theagenes, jubetur eam adorando ſalutare, apud Heliodor. lib. 7. pag. 336. *Καὶ τὸν τρόπον τῆς προσηγορίας ὑφηγουμένοις καὶ ὡς ἔθος προσκυνεῖν τοὺς εἰσίοντας, οὐδὲν μὲν ἀπεκρίνατο. Cumque modum quo illam oporteret ſalutaret, & quod moris eſſet adorare ingredientes docerent, nihil reſpondit.*

Honorem vero pro facta adoratione, cum reddere vellent Reges vel Principes, tiaram deponebant. Heliodor. eodem libro. pag. 337. *Καὶ ἅμα καὶ τῆς κεφαλῆς τὴν τιάραν ἀφεῖλε, πολλὰ τῶν παρόντων κωλυόντων. Τοῦ γὰρ ἀμείβεσθαι τὸν ἀσπασόμενον, σύμβολον τοῦτο πεποίηνται Πέρσαι. Simul & de capite Tiaram depoſuit, multum iis qui aderant prohibentibus; hoc enim faciunt Perſæ, ad reddendam gratiam ei qui ſalutavit.*

Modus autem adorandi, talis erat: inclinabant totum cor-

pus ad terram usque, quod docent Phrases istæ, μίκρȣ μὲν καὶ προσκύνησε πεσών. apud Heliodor. lib. 3. pag. 154. & in Euang. Matthæi cap. 4. commate. 9. καὶ λέγει αὐτῷ (ὁ διάβολος) ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι. Hesychius bene προσκυνεῖ, προσπίπτει.

Manus junctas præterea, precantium vel supplicantium more protendebant; quo Reges tantum suos honore afficiebant Persæ, vetitum enim illis erat, alium Regem adorare: illud, ut & adorationis omnem ritum, discimus ex Heliodoro lib. 9. pag. 453. ὁ δὲ Ὀροονδάτης, τὼ χεῖρε προτείνας καὶ τὴν δεξιὰν, ἐπὶ θατέραν παραλλάξας κύψας προσεκύνησε: πρᾶγμα ȣ̓ νενομισμένον παρὰ Πέρσαις, βασιλέα ἕτερον τȣ́τῳ τῷ τρόπῳ θεραπεύειν. *Oroondates autem, manibus protensis, & dextra in alteram permutatim transposita, inclinatus* *ado-*

adoravit; cum sit res insitata Persis, Regem alterum hoc modo venerari.

Adorantes genua interdum osculabantur. Heliodor. lib. 10. pag. 493. Καὶ ὃς προσελθὼν εἰς μέσους προσκύνει τον Ὑδάσπην, τοσῦτος τις τὸ μέγεθος, καὶ ὅτως ὠγύγιος ἄνθρωπος, ὥστε τὸ γόνυ τοῦ βασιλέως φιλῶν, μικροῦ φανῆναι τοῖς ἐφ' ὑψηλοῦ προκαθημένοις ἐξισούμενος. *Ille autem in medium progressus, adorabat Hydaspem, tanta proceritate, & prisca illa statura homo, ut cum genu Regis oscularetur, propemodum eos qui in alto loco sedebant adæquare videretur.*

Hactenus de adorandi Reges apud Persas more: nunc quod paulo supra innuebam, nempe Barbararum & Orientalium omnium gentium eandem fuisse consuetudinem, auctoribus probabo. Euripides Phœniss. vers. 300.

Γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω
Σ' ἄναξ τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.

 Pro-

Procumbo ad genua ex ſedili
Tibi, o Rex; colens legem Patriam.

Scholiaſtes ad primam vocem, Γονυπετεῖς, ὡς των Φοινίκων διὰ γονυκλισίας τιμώντων τὺς βασιλεῖς. idem Euripides Troadibus, vers. 1021.

Καὶ προσκυνεῖσθαι βαρβάρων ὑπ᾽ ἤθελες.

Et adorari a Barbaris volebas.

ubi conſule doctiſſimum Barneſium. Senec. Herc. Furent. vers. 409.

— *Non ut inflexo genu*
Regnantem adores, petimus.

Græci & Romani libertatis ſuæ in primis æmuli, dedecus hoc nunquam commiſerunt, niſi a Tyrannis quibuſdam coacti qui expreſſe adorari volebant. Ita de Caligula, Suet. Vitell. cap. 2. *Idem miri in adulando ingenii, primus Cajum Cæſarem adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde pro-*

procumbens. ubi omnino reſpiciendus doctiſſimus Torrentius, qui ex Aurelio Victore obſervat, *primum Cajum Dei ac Domini nomen vendicaſſe.* De Helagabalo Lampridius, in Severo. cap. 18. *Ipſe adorari ſe vetuit*, (Alexander Severus) *cum jam coepiſſet Helagabalus adorari, Regum more Perſarum.* Idem de Diocletiano Eutropius. lib. 9. *Cum ante eum Imperatores tantum ſalutarentur, adorari ſe juſſit.* Sed de belluis tantum & Tyrannis hæc tradunt Hiſtorici, cum ex iiſdem diſcamus, mites & bonos Principes, inprimis vetuſtis temporibus, oſculo ſolum & parva corporis flexione, aliquando nulla, fuiſſe ſalutatos: ſic de optimo principe Severo, narrat Lampridius, *illum nunquam adorari ſe paſſum*, imo, *proprio ſe nomine ſalutari juſſiſſe.*

Invaleſcente poſtea luxu, & Romano-

manorum moribus in deterius semper vergentibus, coeperunt salutantes, Imperatorum *Purpuram osculari*, uti ex Codice demonstrat Pancirollus, & ad illum Salmuth, ut & Valesius ad Amm: Marcellin. lib. 15. cap. 5. Neque tantum purpuram, sed & ultima Imperii Romani ætate, tam superbe regnarunt quidam, ut *Pedes salutantibus osculandos* præbuerint, quod de Maximino Juniore, ex Julio Capitolino narrat Alexander ab Alexandro, lib. 2. cap. 19.

CAP. VII.

Salutatio Matutina, Romanis peculiaris; dicebatur proprie, salutationis officium; *maxima Romæ salutatorum copia. Clientes summo mane, salutatum ibant: Togam induebant; pro foribus sæpe ex-*

expectabant donec janitor, & cæteri servi intromitterent, a quibus sæpe convitiis excipiebantur; his, ut propitios sibi redderent, solebant die festo suo munusculum dare: jam intromissi, diu in atrio adhuc expectabant: Nomenclator, salutationi matutinæ præpositus; Imperatores salutaturos, scrutatores excutiebant. Omnes clientes non expectabant in atrio, amici enim, primi & secundi ordinis, Patronum in loco a turba segregato salutabant. Suetonius illustratus. Salutatorum, varia genera. Salutatores, Deductores *sive* Anteambulones, & Assectatores. Ave, *solemnis salutandi formula; quæ non promiscue sed ordine, ab unoquoque, dicebatur; salutandi actus, humilis & demissus: clientes Patronorum manus osculabantur. Epigramma Græcum illustratum. Cli-*

entes, *Patronos* Dominos *salutabant*; *Nobiles salutatores*, *osculo excipiebantur. Potentes*, *a nobilioribus qui munus ambiebant*, *salutabantur*, *a plebe sportulæ accipiendæ causa. Nobiliores*, *servorum & libertorum a magnatibus adamatorum*, *quos sibi favere posse credebant*, *manus osculabantur*, *illisque in humilem maxime modum adulabantur. Viliores*, *pro cœna*, *vel sportula*, *salutabant. Cœna recta*, *quid? Sportula est obsonium*, *vel pecunia. Ipsi senatores*, *sportulam accipiebant*; *pecunia aliquando*, *pro jure salutandi soluta. Potentes*, *privatim a Domesticis*, *mane*, *& vesperi*, *salutabantur. Græci*, *mane*, *& vesperi sese salutabant*: *Mane in castris*, *Centuriones*, *Tribuni*, *Consules*, *a Militibus salutabantur*: *Nobiles Fœminæ*, *clientes habebant*, *& salutabantur. Salutigeruli servi.*

His,

His pro virili salutationibus expositis, progredimur ad decantatissimam salutationem matutinam, propriam Romanis; unde urbis Romæ incommoda referens Arrian: in Epictet. lib. 4. cap. 4. θόρυβος ἐν Ῥώμῃ, καὶ ἀσπασμοί, inquit: quam ex patronatus & clientelæ a Romulo instituto jure emanasse verosimillimum est. In hac exponenda eundem ordinem quo ipsa fieri solebat servabimus.

Matutina itaque salutatio ut hinc ordiar, proprio nomine *salutationis officium* audiebat. Sueton. August. cap. 27. *Et Q. Gallium Prætorem, in officio salutationis tabellas duplices veste tectas tenentem, suspicatus, &c.* Tertull: de Pallio, cap. 5. pag. Salmasianæ editionis 29. *nihil officio advigilo.* ubi Salmasium. Apul. Milesiac. 8. statim principio libri. *ut primum tenebris*

abjectis, dies inalbebat & candidum solis curriculum, cuncta collustrabat; quidam, de numero Latronum supervenit, sic enim mutuæ salutationis officium, indicabat.

Et sic, ideo dicebatur, quia ex officiis multis quæ Patronis clientes præstare tenebantur, illud non minimum erat, præcipue crescente luxu qui ut in omnibus, sic in hac salutatione maximus fuit; quo plures enim clientes & salutatores Patronus haberet, eo pluris æstimabatur: unde multos allicere qui vasta atria salutatum venientes implerent, potentiorum quisque totis viribus enitebatur. Ita ut, jam Augusti temporibus tanta ubique salutatorum copia Romæ fuerit, ut *salutantum undam* dixerit Virgilius, Georgic. 2. vers. 461.

Si non ingentem, foribus, domus alta, superbis

Ma-

Mane salutantum, totis vomit
ædibus undam.

Surgebant ante lucem clientes, in primis æmuli ne alii prius suum Regem salutatum venissent; observantiam & assiduitatem suam sibi multum profuturam reputantes, si hæc Patronus, qui interea & sæpe diu post dormiebat, a servis vel aliis resciviffet. In omnium ore versus Juvenalis ex Satyra. 5.

— *Habet Trebius, propter quod*
rumpere somnum
Debeat, & ligulas demittere;
sollicitus ne,
Tota salutatrix jam turba, pe-
regerit orbem.
Sideribus dubiis, aut illo tem-
pore quo se
Frigida circumagunt pigri
serraca Boota.

Hinc Martialis Epigr. 8. libri 4.

Prima salutantes atque altera
continet hora.

& Juvenal. Satyr. 1. vers. 128.

Ipsa dies, pulchro distinguitur
ordine rerum,
Sportula, deinde forum. &c.

Illorum stultitiam Lucianus in Nigrino deridet, qui νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθεόντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν, καὶ πρὸς τῶν οἰκετῶν ἀποκλειόμενοι, κύνες, καὶ κόλακες, καὶ τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ὑπομένουσι. *qui media de nocte surgunt & totam urbem circumcursitant, quique a servis exclusi foribus, canes & adulatores, & id genus alia, audire sustinent.* Atque inde expertes somni dicuntur Senecæ, Hercul. Furent. vers. 164.

Turbine magno; spes sollicitæ
Urbibus errant, trepidique metus;
Ille superbos aditus regum
Durasque fores, expers somni
Colit. —

Clien-

Clientibus antequam salutatum irent Togam induere solemne erat, hic enim salutantium proprius habitus. Martial. lib. 4. Epigr. 26.

Quod te mane domi, toto non vidimus anno
Vis dicam, quantum Postume perdiderim?
Tricenos puto, bis, vicenos ter, puto nummos,
Ignosces, Togulam Postume, pluris emo.

Juvenal. 1. vers. 95.

Sportula — Turbæ rapienda Togatæ.

Martial. lib. 10. Epigr. 10. & passim. Neque tantum salutantes Togati, sed & hi qui salutabantur, ut eruditissime ostendit doctorum lumen Casaubonus, ad Spartian. Hadrian. cap. 3. quem omnino consule.

Toga ergo induti salutatores Patronorum ædes petebant,

bant, pro quibus sæpe expectandum erat donec ingredi paterentur Janitor, & servi cæteri. Arrian. in Epictet: lib. 4. cap. 1. θεράπευσον ἀντὶ γέροντος πλουσίου, φιλόσοφον. περὶ θύρας ὄφθητι τοὺς τούτου. *Loco senis divitis, observato Philosophum, circa hujus fores conspicitor.* Idem. lib. 3. cap. 24. Et inde Seneca adversus superbos divites. lib. 6. de Benef. cap. 33. *Est proprium superbiæ, magno æstimare introitum ac tactum sui liminis. Pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt.*

Diu aliquando, ut diximus, ante fores expectabant quod intromittere servi nollent, & præterea sæpissime convitiis exciperent, canes & adulatores, appellantes; Lucianus adscriptis statim verbis, *quique a servis exclusi foribus,*

foribus, *canes & adulatores*, *& id genus alia*, *audire sustinent*. Seneca, afferendo non multo post loco, *aut potest hujus tibi patere fides*, *qui per fores maligne apertas*, *non intrat*, *sed illabitur*; Hinc quo in gratiam servorum clientes venirent, & facilius ab illis admitterentur, ipsos die festo suo munusculo solebant delenire. Juvenal. Satyr. 3. vers. 188.

— *Praestare tributa clientes*
Cogimur, *& cultis augere peculia servis*.

Ubi Scholiastes, *cultis*, *bene vestitis*, *quippe festo die suo*, *servis donare cogimur*, *ut admittamur ad salutationem Dominorum*.

Intromissi, diu adhuc in atrio expectabant, donec evigilare Regi placuisset; destinata enim illis ut ita dicam excubiis salutatorum erant atria, quae exinde in aedium aedificatione construi curaban-

rabantur, jam pridem annotarunt Docti ex Gellio.lib. 16. cap. 5. & Non: Marcello, voce, *vestibulum.* eleganter Seneca supra; *ut gradum intra domum ponas; in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt.*

Matutinæ autem huic salutationi præpositus erat Nomenclator servus, ut docet doctissimus Casaubonus, ad Sueton. August. cap. 19.

Præterea cum salutarentur Reges & Imperatores, aderant servi scrutatores, quorum opus ipsum nomen indicat, salutatores nempe scrutabantur, ne telum aliudve armorum genus, absconditum gestarent. Sueton. Claud. cap. 35. *Reliquo autem tempore, salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos.* Hanc consuetudinem ex Græcorum & Barbarorum moribus, mutuati erant Romani.

Cur-

Curtius, de Alexandri ſcrutatoribus lib. 8. cap. 3. *At illa ſervum, quem ſtare in veſtibulo juſſerat, introduci deſideravit; qui, quia caput Spitamenis veſte tectum habebat, ſuſpectus ſcrutatoribus, quid occuleret oſtendit.* Juſtinus, & alii. A Claudio ad Veſpaſianum Romæ hic mos obtinuit, ſed ille miſſum fecit, Sueton. ejus vitæ cap. 12. *Nam conſuetudinem ſalutantes ſcrutandi, manente adhuc bello civili, omiſerat.*

Quod vero dicebamus, clientes in atriis expectaſſe, non de omnibus intelligendum eſt; amici enim quidam pauci primi ordinis in ipſo cubiculo vel alio a turba loco ſegregato, patronum ſalutabant: ut intelligendum puto apud Sueton. Veſpaſian. cap. 21. *Ac dum ſalutabatur, & calceabat ipſe ſeſe, & amiciebat.* non credibile enim, Veſpaſianum ab omnibus promiſcue, dum ſe veſtiret

ret ſalutatum, ſed probabilius, tantum a quibuſdam amicis tunc ſe paſſum ſalutari.

Erat & amicorum ſecundum genus, qui numero quidem plures, ſed tamen etiam a ſalutatorum plebe diſtincti ſalutabant: tandemque in atrio reliqui clientes, Patrono dicebant ſalutem. Variarum harum claſſium auctor C. Gracchus. Senec. de Benef. lib. 6. cap. 34. *Apud nos primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Druſus, inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, & alios in ſecretum recipere, alios cum pluribus, alios cum univerſis. Habuerunt itaque iſti, amicos primos, habuerunt & ſecundos, nunquam veros. Amicum vocas cujus diſponitur ſalutatio? aut poteſt, hujus tibi patere fides, qui per fores maligne apertas, non intrat, ſed illabitur.*

Obſervanda etiam, priuſquam ad ipſum ſalutandi actum venio, diffe-

differentia inter simplices *salutatores* & inter *deductores*; Salutatores enim uno salutato, alium, & rursus alium salutatum ibant; Deductores, uni tantum Patrono serviebant, foras prodeuntem si pedibus iret, comitabantur; ante sellam si ea portaretur ambulabant, unde iidem Anteambulonum nomine a Martiale designantur, ut statim ostendam.

De salutatoribus idem Martial. 12. Epigr. 26.

Sexaginta teras cum limina mane Senator,
Esse tibi videor desidiosus Eques.

ad quod alludit Manil. lib. 5. vers. 57. de Orione.

Instar erit populi, totaque habitabit in urbe
Limina pervolitans, unumque per omnia verbum
Mane salutandi, portans communis amicus.

Mar-

Martialis rurſus lib. 7. Epigr. 38.

Diſcurſus varios, vagumque mane
Et faſtus, & ave potentiorum,
Cum perferre patique jam negaret,
Cœpit fingere Coelius podagram.

Aperte Deductores a Salutatoribus diſtinguit Cicero, libr. de Petition. Conſulat. cap. 9. *Jam deductorum officium, quo majus eſt, quam ſalutatorum, hoc gratius tibi eſſe ſignificato, atque oſtendito; & quoad ejus fieri poterit, certis temporibus deſcendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia.* Vocat eoſdem Anteambulones Martialis, quod ante ſellam Patroni ambularent. lib. 2. Epigr. 18.

Sum comes ipſe tuus, tumidique Anteambulo Regis,
Tu comes alterius, jam ſumus ergo pares.

(Ex quibus verbis, ut ex toto Epi-

Epigrammate, in tranſcurſu obſervandum, eos qui ab inferioribus ſalutabantur, eodem modo quoque, nobiliores ſe ſalutatum iviſſe.) de Anteambulonibus adhuc Martialis. lib. 3. Epigr. 36.

Quod novus, & nuper factus, tibi præſtat amicus
Hoc præſtare jubes me Fabiane tibi.
Horridus, ut primo ſemper te mane ſalutem,
Per mediumque trahat me, tua ſella lutum.

Alia de hac re exempla ſi deſideres, adi Pignor. de Serv. pag. 246.

Dabatur adhuc, præter Salutatores & Deductores tertium genus, nempe Aſſectatorum qui ſemper & ubique Patronis aderant, de quibus Cicero libro de Petition. Conſulat. dicto loco; *Hujus autem rei*, Aſſectationis, *tres partes ſunt; una ſalutatorum, cum*

cum domum veniunt, *altera deductorum*, *tertia Affectatorum*. *&c.* respice & sequentia si vacat: nunc ad ipsam salutationem.

Post tædiosam moram, se tandem Patronus clientibus, videndum præbebat, & a singulis per *Ave* accipiebat salutem, hæc enim salutationis matutinæ solemnis formula. Notissimus Martialis versus.

Et matutinum portat ineptus Ave.

Idem supra.

Discursus varios, vagumque mane
Et fastus & ave potentiorum, &c.

Quod *Ave*, non promiscue, & ab omnibus simul efferebatur, sed ab unoquoque, ut præceptum fuerat, suo ordine. Senec. 6. de Benefic. cap. 34. *Huic, pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cujus vulgare & publicum verbum, & promiscuum ignotis,*

notis, Ave, non nisi suo ordine emittitur.

Ipsam salutationem, demissam & abjectam fuisse, ex Arriano in Epictetum lib. 3. cap. 24. colligo. Latina verba sunt, Wolfio interprete. *Athenis, an vidisti neminem, cujus domum frequentares? Eum quem volui. Etiam hic eundem videre velis, & quem volueris videbis. Modo ne abjecte ne cum appetitione, aut aversatione, ita se res tua bene habebunt: istud autem non in veniendo positum est, neque in stando ad januam, sed intus, in decretis & opinionibus.* Patet ex eodem, clientes Patronorum manus osculari fuisse solitos: eodem capite, non multo prius. ἀλλὰ καὶ τὴν χεῖρα δεῖ καταφιλῆσαι, καὶ θωπεῦσαι δι' ἐπαίνου. *sed manus ejus deosculanda est, & laude aliqua conciliandus animus.* hic enim illum de Patronorum saluta-

salutatione agere, ex prioribus verbis constat, quæ nimis longa sunt ut adscribantur; & inde explicandum Isidori Epigramma in Antholog. lib. 3. cap. 16. Epigrammat. 2.

Ιξῷ καὶ καλάμοισιν, ἀπ' ἠέρος αὐτὸν ἔφερβεν
Εὔμηλος, λιτῶς, ἀλλ' ἐν ἐλευθερίῃ.
Οὔποτε δ' ὀθνείην ἔκυσεν χέρα γαστρὸς ἕκητι. &c.

Fisco & calamis, in aëre se ipsum alebat,
Eumelus, frugaliter, sed in libertate.
Nunquam vero alterius osculatus est manum, ventris causa.

Firmant conjecturam ultima verba γαστρὸς ἕκητι, quibus sportula, h. e. obsonium, vel pecunia obsonio comparando indicatur, viliores enim clientes ut hic Auceps fuisset, sportulæ accipien-

dæ,

dæ ſpe ſalutabant. ut apparebit infra.

Salutationem matutinam abjecte factam fuiſſe oſtendi poteſt præterea ex eo, quod Domini & Reges ſalutati fuerint Patroni. Lucian. Nigrino. Καὶ τὰς πυλῶνας ἕωθεν ἐμπλήσσουσι, καὶ προσελθόντες, ὥσπερ δεσπότας προσείπουσι. *& veſtibula mane implent, & convenientes tanquam Dominos compellant.* Martial. lib. 2. Epigr. 68.

Quod te nomine jam tuo ſaluto,
Quem Regem & Dominum prius vocabam, &c.

Idem eodem libro, Epigramm. 18. & libr. 5. Epigr. 23. Senec. Herc. Furent. vers. 163.

Nobiliores vero ſalutatores in diſtinctionis notam oſculo excipiebantur. Sueton. Othon. cap. 6. *Mane Galbam ſalutavit, utque conſueverat oſculo exceptus, etiam*

sacrificanti interfuit, audivitque prædicta Haruspicis. Martial. libr. 12. Epigramm. 26. de Senatore.

Sexaginta teras cum limina mane Senator
Esse tibi videor desidiosus Eques,
Quod non a prima discurram luce per urbem;
Et referam lassus, basia mille domum.

Cur autem salutatores, tantam & tam assiduam curam in Patronis salutandis ponerent dicendum. Nobiliores cum provinciam, consulatum, & aliud munus ambirent, ad conciliandum sibi potentiorum favorem & gratiam, mane illos salutatum ibant. (etsi sportulam, cum cæteris acciperent.) Plebs ad accipiendam sportulam tantum, quotidie salutandi causa accedebat. In priores istos, qui per dedecus honores se facilius assecuturos confidebant, inve-

invehitur non uno loco Arrian. in Epictetum. sic, libro. 3. cap. 26. verba latina sunt; *Cum ergo aliquem videris alteri obnoxium, aut præter animi sui sententiam adulantem, audacter & illum liberum esse negato. Non tantum si propter cœnam id faciat, sed etiam si ob Provinciam, ob Consulatum, sed illos quidem minutos servos appella, qui propter minutas res ista faciunt; istos vero ut digni sunt, magnos servos.* Isti enim, adeo indigne honores & munera ambiebant, ut dilectorum a Patronis servorum vel libertorum, quo faventes sibi redderent, non erubescerent manus osculari. Arrian. eodem capite. ἤ πάλιν ὅταν ὑπὲρ των μεγάλων τȣτων, ϗ σεμνῶν ἀρχῶν ϗ τιμῶν, τὰς χεῖρας, των ἀλλοτρίων δȣλων καταφιλῇς, ἵνα μὴ δ' ἐλευθέρων δȣ̃λος ᾖς. & sequentib. *Aut etiam, cum propter ista ma-*

 gna,

gna præclaraque imperia, manus alienorum ſervorum deoſcularis, ut ne ingenuorum quidem ſis mancipium. &c. vid. eundem lib. 4. cap. 4. & Senecam in Epiſtolis.

Viliores autem ut dixi, pro ſportula vel cœna ſalutabant; de cœna Arrian. ſtatim allatis verbis; *Non tantum ſi propter cœnam id faciat. &c.* & paulo poſt, *ſed quidem, illos minutos ſervos appella qui propter minutas res iſta faciunt.* &c. Lucian. Nigrino. γέρας δὲ τῆς πικρᾶς ταύτης αὐτοῖς περιόδου, τὸ φορτικὸν ἐκεῖνο δεῖπνον. *Præmium vero, acerbæ illius circuitionis, eſt oneroſa illa cœna.* Dicebatur proprie hæc, *cœna recta* a Romanis, & opponebatur ſportulæ. *Cœna recta* erat, cum patroni ad convivium clientes vocarent, quod a Divitibus liberalioribus factum; de hac vid. Stukium, Antiquitat.

tat. Convival. lib. 1. cap. 35. & Budæum ad Pandectas.

Sportulam tantum loco cœnæ rectæ dabant parciores. Sportula autem varia ſignificat; eſt proprie corbis, a ſparto herba qua conficiebatur denominata: deinde, eſt utenſile cui imponebatur cibus; tertio ſignificat illam pecuniam quam Patroni, obſonii loco ad emendum cibum donabant: utrumque enim horum accipiebant clientes. Primo, de ſportula. h. e. obſonio: ſtatuebatur illa in limine domus. Juvenal. 1. vers. 95.

— Nunc ſportula primo
Limine parva ſedet, turba rapienda Togata.

Hanc ſibi conciliare unuſquiſque, etiam nobiliores conabantur; magnumque inter clientes oriebatur certamen, quiſnam primus eam ſibi vendicaret: quod feſti-

 viſſime

viſſime deſcribit Juvenal. Sat. 1. vers. 97. & ſequentibus.

Ille tamen faciem prius inſpicit, & trepidat ne
Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas,
Agnitus accipies: jubet a Præcone vocari
Ipſos Trojugenas, nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum; da Prætori, da deinde Tribuno;
Sed Libertinus prior eſt; prior inquit ego adſum;
Cur timeam dubitemve locum deffendere, quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem. —

De cœna recta & ſportulis qui plura voluerit, adeat Voſſium in Etymologico, voce *ſporta*. Budæum ad Pandectas, p. 731. Meurs. ad Lycophron. vers. 480.

Fulv. Urſinum ad Ciacconium de Triclinio, & Stukium loco ſupra laudato.

De pecunia quæ ſportulæ nomine veniebat Martialis. lib. 4. Epigrammate 26, ſupra jam adſcripto, in Avarum.

Quod te mane Domi toto non vidimus anno
Vis dicam quantum, Poſtume perdiderim.
Tricenos puto, bis vicenos ter, puto nummos,
Ignoſces, Togulam Poſtume pluris emo.

Ipſi Senatores & alii potentes hanc ſportulam accipiebant, ab Imperatoribus puta vel principibus. Juvenal. 1. vers. 118.

Sed cum ſummus honor, finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus

hinc toga, calceus hinc eſt,
Et panis, fumuſque domi! — Scholiaſtes ibi. *quid facient comites. Quid facient Paraſiti, cum Senatores ſic avidi ſint ad ſportulam?*

Generaliter *mercedem*, pro hac pecunia dixit Columella, præfatione lib. 3. *An honeſtius duxerim, mercenarii ſalutatoris mendaciſſimum aucupium, circumvolitantis limina Potentiorum, ſomnumque Regis ſui rumoribus inaugurantis. Neque enim roganti quid agitur intus? reſpondere ſervi dignantur.*

Secus tamen, reperio pecuniam pro jure ſalutandi fuiſſe numeratam; apud Juvenal. Sat. 3. vers. 185.

— *Omnia Romæ*
Cum pretio, quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?

Præter publicam illam matutinam ſalutationem, privatior quædam Potentibus exhibebatur a Domeſticis. quam innuit Sueton. Veſ-

Vespas: cap. 4. *Prohibitusque* (a Nerone) *non contubernio modo, sed & publica salutatione*; Modus salutationis privatæ erat ut Domestici mane quidem Dominum *salvere* juberent, vesperi vero *valere*. Sueton. Galb. cap. 4. *Quanquam autem nondum ætate constanti, veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit; ut liberti servique, bis die frequentes adessent, & mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.*

Similes fere huic, Græcorum matutinæ & vespertinæ salutationes; præter quam, quod apud eos non servi Dominos salutarent, sed ipsi inter se mane per *salve*, vesperi per *vale* salutarentur; Thomas Magister, voce χαῖρε. ἰστέον δὲ ὅτι ὡς αἱ τῶν παλαιῶν προῤῥήσεις, αἱ μὲν ἑωθίναι χαῖρε, αἱ δ' ἑσπεριναὶ ὑγίαινε.

 scien-

ſciendum vero ſalutationes veterum, matutinas quidem Salve, *veſpertinas autem eſſe* Vale. Oſtendit, Græcos priuſquam dormitum irent ſibi vale dixiſſe,. Artemidorus ſupra. ὑγιαῖνε οὔτε λέγειν οὔτε ἀκούειν ἀγαθον; οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντες τί πράττειν, ταύτα λεγουσιν ἀνθρωποι. ἀλλὰ ἀπαλλαττομένοι ἀλληλῶν, καὶ προς ὑπνὸν τρέπομενοι. Euſtathius de amorib. Iſmen. & Iſmenes, multis locis; ſic lib. 1. pag. 26. Καὶ χαῖροις εἰπουσά μοι κῆρυξ, ὤχετο. ἐγὼ δὲ περὶ τον ὕπνον ἐτραπόμην εὐθὺς. *Et ſalvus ſis Præco dicens, abivit. Ego vero in ſomnum ſtatim incidi*; Idem. libr. 2. pag. 61. Καὶ ὁ Σωσθένης φησὶν, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι: καὶ τὰ πρόσφορα τῇ νυκτὶ χαρισώμεθα. καὶ χαίροις εἰπὼν μοὶ, συν τῇ Πανθίᾳ ὤχετο. reddit quoad ſenſum eruditiſſimus Gaulminus. *Soſthenes ſomno & nocte fruendum pronuntiavit*;

ſtatim-

ſtatimque vale facto, cum Panthia diſceſſit.

Salutatio vero matutina, in urbe non tantum fiebat, ſed & foris in caſtris; adeo delectabantur honore iſto nobiliores Romani. Ritus erat fere idem; Milites, ſummo mane Centuriones ſuos ſalutatum veniebant, ſalutati Centuriones, ſimul cum militibus, Tribunos ſalutatum ibant, & tandem Tribuni cum cæteris Conſulem, vel Ducem exercitus. Hæc doctiſſime ex Polybio & Joſepho docet Lipſius de Milit. Roman: lib. 5. cap. 10. qui reſpiciatur.

Neque tantum viri Romæ a clientibus colebantur, ſed & nobiles foeminæ. Tacitus de Agrippina Annal. 13. cap. 18. *Ac ne coetu ſalutantium frequentaretur, ſeparat domum, matremque transfert* Nero, *in eam quæ Antoniæ fuerat*

quoties ipse illuc ventitaret, septus turba centuriorum, & post breve osculum digrediens. Idem paulo sequentibus verbis, cap. 19. de Julia Silana; *illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium, & Calvisium.*
Juvenal. Satir. 3. vers. 126.

> — *Cum Prætor, lictorem impellat, & ire*
> *Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis.*
> *Ne prior Albinam aut Modiam Collega salutet.*

Ostendit idem de Polla Argentaria & aliis, ex Statio & Justino, vir celeberrimus J. Frederic. Gronov. Observat. lib. 2. cap. 24.

Præterea, habebant parum pudicæ mulieres *salutigerulos servos*, qui hos & illos Dominæ nomine salutarent, invitarent, &c. de quibus vide Pignor. de Servis

Servis, pag. 428. & Popmam de Oper. Servor. pag. 85.

CAP. VIII.

Salutatio Deorum matutina; fluxisse a salutatione Patronorum verosimile est. Fiebat, summo mane; salutatores ad templi fores, consistebant. intromissi, Deos osculabantur, sæpius adorabant; Græcorum προσκύνησις. Dei singulis horis salutabantur. Græci Deos in Hymnis salvere jubebant; eadem Romanorum consuetudo: Viatores, ad aliquam urbem locumve accedentes, Deos salutabant: salutabant & terram, quam sæpe osculabantur. Peregre redeuntes, natalem terram & Deos Salutabant.

PAtronorum matutinam salutationem, Deorum salutationes,

tiones, & primo Deorum matutina salutatio, excipiunt. Quam ex salutandi Patronos consuetudine, cum Doctis quibusdam originem ducere nobis verisimile fit; iidem enim in ea ferme ritus quos præcedenti Capite recensuimus deprehenduntur: neque ullus apud auctores ocurrit quod sciam locus, qui antiquiorem probet. Fiebat summo mane, salutantes foribus templi assidebant donec intromitterentur, intromissi Deos osculabantur, adorabant; &c. quæ breviter omnia expendam.

Prima luce, ergo Dei salutabantur. Cicer. Orat. pro Rosc. Amerin. cap. 20. *Quod si luce quoque canes latrent in Capitolio, cum Deos salutatum aliqui venerint.* Notissimus & multis citatus Apulei locus. Milesiac. 11. pag. 252. *Rebus jam rite consummatis, inchoatæ*

choatæ lucis ſalutationibus, religioſi primam nuntiantes horam, perſtrepunt. Unde abſolute ab eodem Apuleio, libro eodem pag. 259. *matutinæ ſalutationes* appellantur. *Et illico, Deæ matutinis perfectis ſalutationibus.*

Conſiſtebant ſalutatores ad fores templi donec intromitterentur. Senec. Epiſt. 95. *Vetemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum, humana ambitio iſtis officiis capitur.* quæ Senecæ verba debere me ſummo Lipſio ingenue fateor, ut & hunc Prudentii locum. περὶ στεφ. Hymn. 4. vers. 189.

Mane ſalutatum concurritur, omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt, ſolis aduſque obitum;
Conglobat in cuneum, Latinos ſimul, ac peregrinos,
Permixtim populos, relligionis amor.

Oſ-

Oscula perspicuo, figunt impressa metallo.

qui probat, intromissos salutatores Deos osculatos fuisse; ut & ex quarta Ciceronis Verrina, Herculis simulachrum, naso & ore crebris osculis mutilatatam narrantis, viderunt jam alii. hinc apud Julian: ἕδεσιν ἐμφῦναι. Epistol. 53. ad. Jamblich.

—— Δός δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι, ποτὲ τὸ ἡμέτερον ἑρμῆν. καὶ ταὐνα καὶ τὰ τε ἀνάκτορα αὐτοῦ προσειπεῖν, καὶ τοῖς ἕδεσιν ἐμφῦναι. *Da oculis intueri aliquando Mercurium nostrum, atque & illius adyta salutare, & simulacra complecti.*

Sæpius tamen Deos adoratione venerabantur, hæc enim Deorum propria salutatio; quæ quomodo fieret, doctissime explicant, Pithœus, Adversar. Subcisivor, lib. 1. cap. 7. & Brisson. lib. 1. de Formulis, ut doctissimum Dem-

ſterum ſileam, ad Roſin. lib. 3. cap.33.& Bonifac. Hiſtor. Ludicr. lib. 7. cap.4. & ſeq. Summa autem illius ritus, ex Briſſonio hæc eſt. *In ſalutandis certe & adorandis Diis ſtantes, capite operto, corpus ad dextram, ſive dextroverſum in orbem circumagebant, procumbebant etiam, dextramque ori admoventes, oſculum labiis premebant, tum deinde ſedebant.* Quæ omnia deinde vir ſummus auctorum locis eruditiſſime firmat, quem omnino conſule.

Græci, Deos προσεκυνήσαν. Heliodor. lib. 10. pag. 462. Καὶ ἐπειδὴ προσπεσόντες, τοὺς θεοὺς προσεκυνήσαν. *Poſtquam ſubmiſſi, (vel procumbentes) Deos adorarunt.* ex quibus verbis, Deos venerandi modum docemur; quæ confer cum eis quæ Capite 6. notavimus. Sed de προσκυνήσει dixerunt multi, quam ideo leviter tantum tango.

Deos

Deos autem ſuperſtitioſi ſalutatores, non mane tantum, ſed & ſingulis horis adoraturi accedebant. Prudentius verbis laudatis.

— *Eunt, redeunt, ſolis adusque obitum.*

Idem ex Tertulliano de Jejuniis, jam dudum obſervavit Colvius ad Apulejum, quem non exſcribo.

Pergo igitur ad Deorum ſalutationes reliquas quarum prima conſideranda eſt ea, quam in Hymnis, ad favorem numinis ſibi conciliandum, faciebant antiqui. Huic enim precum antiquiſſimo generi, ſæpe & fere ſemper *χαῖρε*, *ſalve*, aut ſimile quid accedit. Probant omnes quotquot exſtant, Callimachi Hymni, in quibus aliquando bis terve hæc ſalutatio occurrit: ſæpe in fine, ut Hymno in Jovem, verſ. 90. & in reliquis omnibus.

Χαῖρε μέγα, Κρονίδη, πανυπέρτατε. —— *Salve*

Salve plurimum, o Saturni
exsuperantissime. —

& rursus vers. 94.

Χαῖρε πάτερ, χαίρ' αὖθι.
Salve Pater, salve iterum.

ratio clara; quippe potestate, & viribus Dei, ex historia & factis ejus per totum Hymnum praedicatis, per salutationis formulam, quam exultatione quadam ut χαῖρε μέγα & χαῖρε χαίρ' αὖθι. saepe repetebant, desinentes, fervore magno se Dei laudes publicasse probabant.

Per χαῖρε interdum quoque incipiebant, ut Hymn. in Cerer. vers 2. Δάματερ μέγα χαῖρε. statim in principio, numinis favorem ambientes. Talis in precibus salutationis, pulcherrimum exstat exemplum apud Euripid. Hippolit. vers. 63. ipsius Hippoliti ad Dianam, quod integrum adscribere operae pretium erit.

ἕπεσθ'

Ιππ. Ἕπεσθ' ἀείδοντες, ἕπεσθε
Τὰν Διὸς, ὐρανίαν Ἄρτεμιν
Ἄρτεμιν, ἆ μελόμεσθα.
Χο. Πότνια, πότνια, σεμνοτάτα,
Ζηνὸς γενέθλον
Χαῖρέ μοὶ, ὦ κόρα,
Χαῖρέ μοὶ, Λατῦς,
Ἄρτεμι, κὴ Διὸς.
Καλλίστα πολυ παρθένων,
Αἳ μέγαν κατ' ὐρανον
Ναίετ', εὐπατερέιαν αὐλὰν
Ζηνὸς πολυχρυσον οἶκον
Ιππ. Χαῖρέ μοι ὦ καλλίστα
Καλλίστα των κατ' ὄλυμπον
Παρθένων Ἄρτεμι.
Hipp. *Sequimini canentes, sequimini*
Jovis filiam, Cælestem Dianam.
Dianam, cui curæ sumus.
Chor. *Veneranda, veneranda, augustissima*
Jovis soboles,
Salve mihi Latona
Et Jovis filia, Diana

Vir-

Virginum multo formosissima
Quæ in amplo coelo
Habitatis nobilem patris aulam
Jovis, auricopia fulgentem domum.

Hipp. *Salve mihi, o formosissima*
Pulcherrima, in cœlo degentium
Virginum Diana.

Satis ut credo, ex his exemplis patet, morem salutandi Hymnos canentibus in usu fuisse: addo quasi supervacaneum, Lucian. libello de Lapſ. inter salutand: ubi observat, Dionysium a Platone reprehensum quod in Appollinem versus scribens Deum salvere jussisset. Καὶ ἔπιςελλων γὲ τῷ Διονυσίῳ, αἰτιᾶται αὐτον, ὅτι ποιῶν ἐς τὸν Απόλλωνα, χαίρειν τὸν θεὸν προσεῖπεν, ὡς ἀναξιον, τοῦ Πυθίου. Mitto Hymnos qui vulgo Homeri nomine feruntur, ex quibus

bus idem probari potuerat, nisi satis supra allati versus declararent.

Romanis eandem fuisse consuetudinem ex Virgilio apparet, lib. Æneid. 8. vers. 301. in prece Euandri ad Herculem.

Salve, vera Jovis proles, decus addite divis.

faciunt & forsan ad hunc ritum, verba Populi Romani ad Romulum, subito coorta tempestate ad Capream, in Deorum numerum relatum. Apud Liv. lib. 1. *Deinde paucis initio facto, Deum, Deo natum, Regem Parentemque Urbis Romanæ, salvere universi Romulum jubent, pacem precibus exposcunt, uti volens, propitius suam semper sospitet progeniem.*

Sequitur salutatio qua viatores ad urbem locumve quendam accedentes, Deos honorare solem-

ne ducebant; sic Æneas ad Plemmyrium Insulam appellens, apud Virgil. 3. Æneid. vers. 697. Deos veneratur.

Numina magna loci, jussi veneramur.

& ejusdem lib. vers. 79.

— *Egressi veneramur Apollinis urbem.* —

rursus. vers. 84.

Templa Dei, saxo venerabar structa vetusto.

Hunc eundem morem docet Scholiastes quem suis notis sæpe immiscet Barthius, ad Stat. Thebaid. 4. vers. 808: *Dii præsides locorum, salutabantur ab eo appellentibus.* quod idem, ibidem observat Barthius, vir stupendæ lectionis.

Neque tantum Deos, sed & terram salutabant. Sic Plutus apud Aristophan. Plut. act. 3. scen. 3.

Καὶ προσκυνῶγε, πρῶτα μὲν τὸν Ἥλιον Ἔπειτα,

Ἔπειτα, σεμνῆς Παλλάδος κλέινον πέδον.

Adoro primum quidem Solem
Postea, Palladis almæ solum inclytum.

ad quæ verba, ex tertio Metamorphos: Ovidii, ritum hunc egregie nobis in auctoris hujus privata explicatione exposuit, doctissimus & celeberrimus vir Petrus Burmannus, optime de studiis qualibuscunque meis meritus. Ovid. 1. Fastor. vers. 519. de Carmenta.

Dique petitorum dixit salvete locorum,
Tuque novos cœlo terra datura Deos,
Fluminaque & fontes quibus utitur hospita tellus,
Et nemorum Nymphæ, Najadumque chori.

vide ibi Neapolim.

Non solum autem salutabant terram,

ram, ſed & oſculabantur; hinc Jul. Cæſaris ſtratagema, qui *ad Africam appulſus, e navi egrediens lapſus eſt, & verſo ad melius omine*, verba ſunt Suetonii in ejus vita cap. 59. *teneo te inquit, Africa.* nempe quaſi oſculabundus procubuit. Ovid. 3. Metamorph. verſibus quos ſtatim innuimus.

Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ
Figit, & ignotos montes, agroſque ſalutat.

Peregre redeuntium, eadem natalem terram & Deos ſalutandi ratio. Plaut. Bacchid. Act. 2. Scen. 1.

Herils patria ſalve, quam ego biennio
Poſtquam hinc in Epheſum abii, conſpicio lubens.
Saluto te vicine Appollo, qui ædibus
Propinquus noſtris, accolis.

Lucianus Necyomanth. Dialogo, festive Poetam quendam perstringens, Menippum clava, lyra, & exuviis leonis ornatum, ex inferis redeuntem inducit, grandiloquis versibus tantum loquentem.

Ὦ χαῖρε μέλαθρον, πρόπυλά θ' ἑστίας ἐμῆς.

O salve atrium, domusque vestibulum mea.

Ad quem morem, sine dubio alludit Julian. Oration. 3. ἐσμὲν γὰρ τῆς Ἑλλάδος, οἱ περὶ τὴν Θρακὴν καὶ τὴν Ιωνίαν οἰκοῦντες, ἔγκονοι, καὶ ὅστις ἡμῶν μὴ λίαν ἀγνώμων, ποθεῖ προσειπεῖν τοὺς πατέρας, καὶ τὴν χώραν αὐτὴν ἀσπάσασθαι. *Siquidem nos omnes, quotquot in Thracia, & Jonia, sedem habemus, originem ex Græcia ducimus, & quisquis nostrûm non omnino ingratus est, parentes suos salutare, ac regionem ipsam complecti, quodammodo cupit.*

CAP.

CAP. IX.

Variæ occasiones in quibus salutatio facta. Consules, eo quo munus accipiebant die ab omnibus Magistratibus, & Plebe salutabantur. Qui in Provinciam mittebantur, salutabantur ad Portam salutarem. Senatores, Imperatorem sive Consulem, in curiam ingredientem, salutabant, Principes mites contra, illos osculo excipiebant. Hospites jungebant dextras. Peregre redeuntes, osculo salutabantur. Abeuntibus, vale *dicebatur: Mortui sic salutati. Prætereuntes, sepulchra τῷ* vale *salutabant. Sternutantes salutabantur. In conviviis, bibentibus ζήσειας, h. e.* vivas *dicebatur; Milites in exercitu ense sese salutabant. Psittaci picæ, corvi, salutationis formulam docebantur. Veteres in Epistolis salutati;*

 non

non idem antiquissimis temporibus mos. Cleon primus χαίρειν, *scripsit. Plato* εὐπράττειν, *maluit, Epicurus vero ,* εὐδιάγειν. Vale *calci litterarum adscriptum.*

Restat nunc priusquam finio, hoc capite dicendum de occasionibus quibusdam in quibus se salutare consueverant Antiqui. Incipio a salutationibus nonnullis nobilium, ut aliquis cujus tamen hoc capite vix ratio haberi potest, neque omnino habenda videtur, ordo servetur.

Consules primo quo munus suscipiebant die, a Senatu, reliquis Magistratibus, & Populo, in humilem maxime modum salutabantur. Ritum omnem enarrat egregie Claudian. 2. in Eutrop. vers. 63.

— Vulgata patebat
Aula, salutantum studiis; huc plebe Senatus

Per-

Permista, trepidique Duces, omnisque Potestas,
Confluit. Advolvi genibus, contingere dextram,
Ambitus; & votum deformibus oscula rugis
Figere. —

Omnes servilis demissionis notas comprehendunt hi versus, quarum præcipuam pulchre observat Barthius, quem conferre cum eis quæ supra adduximus poteris.

Pergo ad salutationem qua Prætor salutabatur, ille qui Proprætore seu Proconsule in Provinciam mittebatur, quæ ad *portam* quæ exinde *salutaris* denominata est, fieri solebat. Festus, voce *Prætor. Prætor ad portam nunc salutatur, is qui in Provinciam, Proprætore aut Proconsule exit.* Idem, voce *salutaris. Salutaris Porta, appellata est ab æde salutis, quod ei proxima fuit, alii ob salutationes.*

Transeo ad Senatorum, Imperatorem, vel Consulem senatum ingredientem, salutandi ritum: quem breviter, non secus ac praecedentes indicabimus tantum, majori enim probatione non egent, neque multas, simplices ritus suppeditare possunt. Salutabatur ergo & resalutabat intrans Imperator; Suet. August. capite 53. *Die senatus, nunquam Patres, nisi in Curia salutavit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente; & discedens, eo modo sedentibus valere dicebat.* Addebant huic salutationi osculum clementes & boni Principes. de Trajano Plinius, Panegiric. cap. 33. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras.*

Sunt quædam aliæ salutationes, quæ in vita civili prout daretur occasio exhibebantur. Atque primo observanda relligio vete-

veterum in hoſpitibus excipiendis, cum quibus dextras in amicitiæ ſignum jungebant; ſic Pallas cum Ænea, Æneid. 8. vers. 124.

Accepitque manu, dextramque amplexus, inhæſit.

ejuſdem Virgilii notiſſimus ex primo Æneïdos verſus.

Jungimus hoſpitio dextras, tectaque ſubimus.

Homer. Odyſſ. α vers. 121.

— Ἐγγύϑι δὲ στὰς
Χεῖρ᾽ ἕλε δεξιτερὴν, καὶ ἐδέξατο χαλκεὸν ἔγχος.
Καί μιν φωνήσας, ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,
Χαῖρε ξεῖνε. —

— *Prope autem ſtans*
Manum prehendit dextram, & ſuſcepit æneam haſtam,
Et ipſam allocutus verba alata, dicebat
Salve Hoſpes. —

Hoſpitum ſalutationem, valde ſimilis ſalutatio peregre redeuntium, quæ multis & crebris oſculis exhibebatur, excipit. Subulci talem ſalutationem viſo Telemacho, divine exprimit Homerus, 16. Odyſſ. vers. 15. & ſequentib.

Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε, καὶ
ἄμφω φάεα καλὰ
Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας, θαλερὸν
δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ.
Ὡς δὲ πατὴρ, ὃν παῖδα φιλο-
φρονέων ἀγαπάζει,
Ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης, δεκάτῳ
ἐνιαυτῷ
Μοῦνον τηλύγετον, τῷ ἐπ' ἄλγεα
πολλὰ μογήσῃ·
Ὡς τότε Τηλέμαχον θεοειδέα, δῖος
ὑφορβὸς,
Πάντα κύσεν περιφὺς, ὡς ἐκ
θανάτοιο φυγόντα.

Oſculatus eſt autem ipſi, caputque
& ambo lumina pulchra

Ma-

Manusque ambas; tenera autem, ei excidit lacrima.
Sicut autem pater, suum filium benevolus amplectitur
Venientem ex longinqua terra, decimo anno,
Sic tunc, Telemachum divinum divus subulcus
Totum osculatus est, circumplexus, uti mortem effugisset.

Idem. Odyss. χ vers. 498. Horat. 1. Od. 36. vers. 6.

Qui nunc, Hesperia sospes ab ultima,
Caris multa sodalibus,
Nulli, plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiæ; —

ubi vetus Cruquii Commentator, *Hæc est amicorum consuetudo, dum longinquo revertuntur.* vide ibid. Torrent. Plaut. Amphitruon: 2. 2. vers. 82. Euripid. Iphigen: in Aul. vers. 679.

Atque, sicut læto *salve* peregre

redeuntes ſalutabantur, ita abeuntibus lamentoſum *vale* dicebatur. Virgil. Ecl. 3. vers. 79.

Phyllida amo ante alias, nam
me diſcedere flevit,
Et longum, formoſe vale, vale in-
quit Jola.

Ovid. Epiſtol. Heroid. 5. vers 52.

Oſcula dimiſſa quoties repetita de-
diſti!
Quam vix ſuſtinuit dicere lingua,
vale!

& Epiſtol. 13. vers. 14.

Vix illud potui dicere triſte vale.

Atque quoniam in valedictionem incidimus, verbo de valedicendi Mortuis more agendum. Virgilius.

— Salve æternum, mihi maxi-
me Palla
Æternumque vale. —

Catull. Carmin. 96.

Nunc tamen interea, priſco quæ
more parentum

Tra-

Tradita sunt, tristes, munera, ad inferias
Accipe, fraterno multum manantia fletu
Atque in perpetuum, frater ave atque vale.

Illudque *vale*, mortuis non tantum cum humo mandarentur acclamabant, sed & sepulchra praetereuntes, sic etiam eos salutabant. Catalecta veterum Poetarum Scaligeri, lib. 1. paragr. 5. pag. 158.

Si quis in hoc saxo, Tulli legis advena nomen
Non dedigneris dicere, Marce vale

Antholog. lib. 3. cap. 7. Epigrammat. 14.

Μὴ χαίρειν εἴπῃς με, κακὸν κάρα, ἀλλὰ παρέλθε.

Ne salutem mihi dicas malum caput, sed praeteri.

Sternutantes salutare consueverant Antiqui. Apul. Milesiac. lib.

9. *Atque ut primum e regione mulieris pone tergum ejus, maritus acceperat ſonitum ſternutationis, quod enim putaret ab ea profectum; ſolito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus, & iterato rurſum, & frequentato ſæpius.* ubi vide Colvium. Petron. Satyric. cap. 58. *Dum hæc ego jam credenti perſuadeo. Gyton collectione ſpiritus plenus, ter continuo ita ſternutavit, ut grabatum concuteret, ad quem motum Eumolpus converſus, ſalvere Gytona jubet.* Ad hunc locum, qui plura voluerit adeat Douzam & alios. Sternutantibus Græci ζεῦ σῶσον dicebant: qua ſuperſtitione vid. apud Scaliger. Lection. Auſoniar. lib. 1. cap. 16. & Caſaub. ad Athen. lib. 2. cap. 25.

Inter varias ſalutationes, recenſenda quoque Antiquorum, in conviviis conſuetudo, bibentibus ζήσαις h. e. *vivas* dicendi; obſer-

ſervarunt jam ex Dione, doctiſſimi viri Caſaubon. ad Athen: lib. 4. cap. 13. & Fulv. Urſin. ad Ciaccon. de Triclin. pag. 371. Suid. in voce ἀμυςὶ. ἐφ' ᾧ παραχρῆμα πάντες τοῦτο δὴ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, ἐξεβόησαν, ζήσειας. *Quamobrem confeſtim omnes acclamarunt, id quod in conviviis dici ſolet, vivas.* Solebant & in ſalutem Regis, vel Imperatoris poculum haurire; quo more nihil hodie uſitatius. vide, Barth. ad Claudian. 4. Conſ. Honor. vers. 449.

Græci interdum etiam, τῷ χαῖρε Conviyis propinabant. Alexis, apud Athenæum. lib. 6. cap. 15. pag. 254.

— χαίρετ' ἄνδρες συμπόται
Ὅσην ἀγαθῶν τὴν κύλικα μεςὴν πίομαι.

— *Salvete, o viri compotores*
Totum hoc poculum, bonis plenum, vobis præbibo.

F 7 vid.

vid. Scholiaſt. Pind. Nem. 3. vers. 132.

Indicandus hic quoque verbo, Militum mos ſeſe invicem enſe ſalutandi. Lucan. lib. 4. vers. 174.

— *tenuere parumper*
Ora metu : tantum nutu, motoque ſalutant
Enſe ſuos. —

Stat. 12. Thebaid. vers. 400.

— *Teque ille acie reſpexit ab ipſa*
Enſe ſalutatam, & nutantis vertice coni.

Quod idem conſueverant facere cum ſe victos faterentur. Hirtius Panſa, de Bell. Afric. cap. 10. *Quo poſtquam pervenerunt, eaque ab Julianis teneri vident, deſperata ſalute in quodam colle conſiſtunt; atque armis demiſſis ſalutationem more militari faciunt.*

In tranſitu etiam obſervandum, pſittacos, picas, corvos, & tale

tale avium genus, quod loquelam hominis imitari potest, salutandi formulas ab Aviariis fuisse edoctas. Persius, Prolog. 1. Satyr. vers. 8.

Quis expedivit Psittaco, suum
χαῖρε
Picasque docuit, verba nostra conari?

Ibique doctissimus Casaubonus.

Salutabantur denique in Epistolis, *salve* in capite, *vale* in litterarum calce adscribentes; de Romanis nemo nescit, ostendunt enim quotquot exstant Ciceronis Epistolæ, quibus S. P. D. vel S. D. semper præponitur; ex quo more, in multis Heroidum Epistolis per salutem orditur Ovidius ut Epistola, 4.

Qua nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio, Cressa Puella viro.

pari-

pariter. 8. Metamorph. vers. 822.

Quam nisi tu dederis, non est habitura salutem

Hanc tibi mittit amans. —

Græci, teste Hesichio, τὸ χαίρειν ταῖς ἐπιστολαῖς, προσέτιθεσαν. eisdem verbis appendix Vaticana, Centur: 4. Proverb. 44. ταῖς ἐπιστολαῖς τὸ χαίρειν προσετίθεσαν, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης καὶ Σοφοκλῆς. vide ibi Schottum. Ex omnibus fere Epistolis, clarum est. Sic in Antholog. Philomela ad Procnen lib. 1. cap. 9. Epigramm. 3.

Χαῖρε Πρόκνη, παρὰ σεῖο κασιγνήτης Φιλομήλης

Χαίρειν εἰ τόδε γ' ἐστιν. —

Salve Procne, a tua sorore Philomela

Si modo, hoc salvere est. —

sed hæc probatione non egent.

Anti-

Antiquissimis autem temporibus non eadem erat consuetudo, quibus absque salutatione ulla, a rebus ipsis exordium ducebant. Satis multæ quæ adhuc extant Epistolæ, illud manifestum faciunt; docet præterea Lucian. de Lapſ. inter salutand. μετ᾽ ἐκεῖνον ὁ Νικίας, ἀπὸ Σικελίας ἐπιστέλλων ἐν τῷ ἀρχαίῳ τῶν ἐπιστολῶν διέμεινεν, ἀπ᾽ αὐτῶν ἀρξάμενος τῶν πραγματῶν. *Post illum Nicias, ex Sicilia scribens, morem epistolarum antiquum retinuit, ab ipsis rebus incipiendo.*

Primus Cleon lætum victoriæ nuncium mittens, Athenienses ab ipso Epistolæ exordio salvere jussit, eodem Luciano te.te, verbis statim præcedentibus; quod idem narrat Suidas, voce ἐυπράττειν. χαίρειν δὲ ἐπέγραφε Κλέων; Pro quo, maluit Plato εὐπράττειν. Suidas ibidem, ἐυπράττειν: ὕτως ἡ ἐπι-

ἐπιγραφὴ τῶν ἐπιστολῶν Πλάτωνος. Epicurus vero εὖ διάγειν: Diogen. Laërt: in Platone. lib. 3. segmine 61. ἐπιστολαὶ, τρισκαίδεκα ἠθικαί. ἐν αἷς ἔγραφεν εὐπράττειν, Ἐπίκουρος δὲ εὖ διάγειν, Κλέων χαίρειν. *Epistolæ tredecim (Platonis) morales, quibus præponebat bene agere, Epicurus autem, bene vivere, Cleon vero gaudere.* vide ibi præstantissimos viros, Mericum Casaubonum, & Ægid. Menagium.

Finiebant vero, per ἔρρωσο, *vale*, testantur omnes Epistolæ. Sic Julian. Epist. 3. ἔρρωσο μοί ἀδελφέ. Epistol. 44. σώζοιο. Eustathius amator. pag. 330. Phalaris, Epistola, 17. 18. 46. &c.

Romanorum *vale* pueri noverunt, hinc Ovidius Epistol. 20. vers. ultimo.

Restat ut adscribat littera nostra, vale.

Cum quo versu & nos, juvenili huic

huic Dissertatiunculæ finem imponimus. Atque hactenus de salutationibus.

FINIS.



DIA-

Digitized by Google

14.

DIATRIBE
DE
NUTRICIBUS
ET
PAEDAGOGIS.



DIATRIBE
DE
NUTRICIBUS
ET
PAEDAGOGIS.

CAP. I.

Matres ipsæ priscis temporibus liberos lactabant, imo nobilissimæ fœminæ. Proprium matris esse officium, multis rationibus ostenditur. Matres ideo adhibuerunt nutrices quia post dolores partus, educandi laborem refugiunt: unde orta consuetudo liberos nutricibus lactandos tradendi. Maximum

mum postea paupertatis indicium Romæ erat, si liberos suos ipsa mater aluisset.


Psæ matres, antiquis temporibus, liberos lactabant, imo Reginæ & nobilissimæ fœminæ; Tacit. vel quisquis sit, Auctor Dialogi de Orator. cap. 28. *Ego de urbe, & his propriis, ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos statim excipiunt, & per singulos ætatis gradus cumulantur; si prius de severitate, ac disciplina majorum circa educandos formandosque liberos, pauca prædixero. Jamprimum, suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio, ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum, & inservire liberis.* Laudat idem in Germanis Tacitus de morib:

morib: German. cap. 20. *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.* Juven. Sat. 6. vers. 9. de ſæculo aureo.

Silveſtrem montana torum cum
ſterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus; haud ſimilis tibi Cynthia, nec tibi cujus
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos,
Sed potanda ferens, infantibus ubera magnis.

Ipſæ Reginæ Infantes alebant; ſic Alcmena Herculem & Iphiclum ſimul lactat, apud Theocrit. Idyll. 24.

Ἡρακλέα δεκάμηνον ἔοντα ποχ' ἁ μιδεᾶτις
Ἀλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα
Ἀμφοτέρους λούσασα, καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος

Χαλκείαν κατέθηκεν ἐπ' ἀσπί-
δα. ——

*Herculem, cum jam decem menſes
natus eſſet, quondam Mideatis
Alcmena, & nocte minorem I-
phiclum,
Cum ambos laviſſet, & lacte
repleviſſet,
Poſuit ſuper ſcutum æreum; ——*

Et illud revera proprium Matris officium eſt; quæ quos peperit liberos, majori ſemper cura & ardore educat, quam adſcititia nutrix: hinc poſt partum, matribus ſtatim lac ſuppeditat alma natura & ubera implet; maximum præterea amoris materni vinculum eſt liberos ſuos lactaſſe; matres enim quos aluerunt, maxime diligere experientia quotidiana probat; atque inde factum ut nutricum in alumnos, alumnorum in nutrices, ſæpiſſime in tan-

tantum amor creverit, de quo infra exempla afferentur. Quibus de caufis, cenfuerunt femper Philofophi atque Sapientes liberos ab ipfis matribus effe alendos, cum quibus fuffragatur Plutarchus, de Liber: Educand. pag. 3. & Favorinus, apud A. Gellium lib. 12. cap. 1. quem late de hac re differentem, omnino refpice. Cum autem non firma fatis corporis conftitutio, aut quia ad novam prolem feftinant, matribus quominus lactationis curam fufcipere poffent obftaret, tunc demum accerfendas nutrices dicit ibidem Plutarchus.

Illæ igitur caufæ, & maximus infantes alendi & educandi labor, effecerunt ut paulisfper invaluerit nutricibus lactandos infantes tradendi confuetudo; quamvis primo male audierint matres, quæ liberos alendi curam in nu-

trices derivabant, quod sensim tamen ut sit evanuit. Postea enim, maximæ paupertatis Romæ nota erat suos liberos alere: patet ex Juvenal. Satyr. 6. vers. 593.

Hæ tamen, & partus subeunt discrimen, & omnes
Nutricis tolerant, fortuna urgente, labores.

Scholiastes ibi, *cogente paupertate, non solum partus periculum, sed etiam educationis subeunt laborem.* Indicat idem, locus Dialog. de Orator. in principio statim adscriptus. Atque inde occasio nobis, de nutricibus & earum circa alumnos cura breviter disserendi.

CAP. I.

Nutrix, *a* nutriendo *derivatur*; *mammæ* nutrices *appellatæ. Nutrices ab* alendo almæ, *&*

altri-

altrices *dicuntur*: *possunt & recte* alumnæ *appellari*. Τίτθη, Μαῖα, Τροφὸς, *præcipua vocabula, quibus ad designandas nutrices utuntur Græci*. Τίτθαι *a mammis dicuntur, quas* τίτθους *Græci vocant. Eupolis nutricem* θηλάστριαν *appellavit*. Τροφὸς *sumitur pro nutrice quæ lac præbet, & pro illa quæ infantuli tantum curam gerit. Hanc* Assam *appellabant Romani: quam tamen vocem aliter interpretatur Nonius. Antiquis temporibus infantium cura mandabatur ætate alicui provectæ mulieri: quæ sæpissime erat* avia *vel* matertera; *Illæ ex eo* nutrices *dicebantur*.

VOcem *nutrix*, a *nutriendo* derivari nemo nescit: qua eadem ratione ipsæ mammæ *nutrices* appellantur; uti doctis observatum ex Catull. Carm. 65. de Nupt: Pelei & Thetidis v. 18. G 3 *Illa-*

Illaque, haud alia viderunt luce, marinas,
Mortales oculi, nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.

ubi vid. Pafferatium.

Nutrices dicuntur etiam *almæ* ab *alendo*; Lucret. lib. 5. vers. 232.

Alma nutricis blanda atque infracta loquela.

Ab eodem verbo fit vocabulum *altrix*, quo aliquando etiam nutrices defignantur. Stat. 2. Silv. 1. vers. 86.

Quid referam, altricum victos pietate parentes.

hinc τίτθην, optime vertunt Gloffæ *altricem* ut ftatim apparebit.

Vocantur & recte eædem *alumnæ*, cum is qui alit, & ille qui alitur ambo *alumni* dicantur; Serv. ad. 4. Æneid. Virg. vers. 72. *Nam vector, cum fit proprie qui vehit,*

vehit, invenimus etiam, eum vectorem dici qui vehitur. Et paulo post, *Tale & alumnus, qui alit, & qui alitur.*

Græci multis vocabulis nutrices designant, quorum hæc præcipua, τίτθη, μαῖα, τροφὸς. Singula breviter expendamus. τίτθην, explicat Hesychius per τροφόν. Glossæ Labbæi; τίτθη, *altrix, nutrix.* Appellantur autem sic a mammis, quæ Græcis τίτθοι dicuntur. Suid. τίτθοι: οἱ μασοὶ, ἤτοι τῶν μασῶν τὰ ἄκρα. *Mammæ, vel potius mammarum summæ partes.* Idem in τίτθαι: οὕτω καλοῦνται αἱ παρὰ τοῖς τιτθίοις, καὶ τῷ γάλακτι τρέφουσαι τὰ παιδία. *Sic appellantur nutrices, quæ juxta mammas & lac, infantes nutriunt*; Pollux. lib. 3. cap. 3. Sect. 4. Καὶ ἡ γάλα παρέχουσα, τίτθη, καὶ μαῖα. De voce μαῖα, infra loquar.

Nutrix dicitur præterea τίτθις

quo eodem nomine materteræ designantur, vide Lexicographos; Eupolis nutricem θηλάςριαν appellavit. Pollux, lib. 3. cap. 3. sect. 6. Τὴν δὲ θηλάζουσαν Εὔπολις τιτθὴν θηλάςριαν ὠνόμαζε. *Lactantem vero nutricem Eupolis θηλάςριαν dixit.* Nimirum ἀπὸ τοῦ θηλάζω, *lacto*, *sugo*, ut vertunt Glossæ, quodque patet ex ipsis Pollucis verbis; illud autem verbum ἀπὸ τῆς θηλῆς mamma.

In voce τροφὸς, paulo plus immorabimur. Glossæ, *Nutrix* τροφὸς. Hesych: τροφοὶ ἀντὶ τοῦ θρέμματι: sed hoc vocabulum laxioris est significatus, bifariam enim sumitur, vel pro nutrice quæ lac præbet uti vox ipsa indicat, & verbum τρέφω a quo derivatur, unde & omne alimentum τροφεῖον seu τροφὴ dicitur; vel, pro alio nutricum genere, quæ infantes non lactant, sed eorum tantum

cu-

curam gerunt, sub qua notione vox Græca τροφός, & Latina *nutrix*, sæpe veniunt: Thom: Magister in τίτθη. Τίτθη δὲ λέγεται ἡ μαςὸν παρέχουσα. Et paulo post, τροφὸς δὲ, καὶ τιθηνὸς, ἡ τὴν ἄλλην ἐπιμέλειαν ποιουμένη τοῦ παιδὸς μετὰ τὸν ἀπογαλακτισμόν. τροφὸς *vero & τιθηνὸς dicitur, quæ reliquam infantis curam gerit post ablactationem.* Falli tamen in eo mihi videtur, quod *lactantem nutricem* τίτθην tantum appellet, & τροφὸν absolute illam quæ solum post ablactationem infantem curat, esse velit: ut dixi enim τροφὸς nutricem lactantem sæpe notat, & aliquando illam quæ tantummodo præposita est infantium curæ, quæ etiam nutrix vocatur.

Sic apud Homer. Odyss. α vers. 435. dicitur Euryclea Telemachum infantem nutrivisse.

— Καί ἑ μάλιςα

 Δμωάων

Δμωαὼν φιλέεσκε, καὶ ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα.

— Et ipsum maxime
Ancillarum amabat, & enutrierat, parvulus cum esset.

quæ tamen vers. 430. a Laërte, patre Ulyssis empta fuisse dicitur, ita ut certe jam provecta ætate fuerit cum nasceretur Telemachus, eumque ideo lacte nutrire non potuerit; ad eandem prætarea dicit Ulysses lib. 19. vers. 482. se ab ea enutritum fuisse.

Μαῖα τίη μ' ἐθέλεις ὀλέσαι, σὺ δέ μ' ἔτρεφες αὐτὴ
Τῷ σῷ ἐπὶ μαζῷ. —

Nutrix cur me vis perdere, tu autem me nutrivisti ipsa
Ipsa tua in mamma. —

Unde observandum, patres matresque quæ ipsos aluerant nutrices, has jam vetulas suorum liberorum educationi præposuisse; quod idem de Pædagogis infra refe-

referemus. Sic intelligendus Virgil. lib. 5. Æneid. verſ. 645.

— *Heic una e multis, quæ maxima natu*
Pyrgo tot Priami gnatorum regia nutrix.

Iſtæ nutrices Romanis proprie dicebantur *Aſſæ*, ſi credendum Scholiaſtæ Juvenalis, ad Satyr. 14. verſ. 208.

Unde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere
Hoc monſtrant vetulæ, pueris repentibus, Aſſæ.

Ubi ſic *Aſſam*, interpretatur; *Aſſa nutrix dicitur quæ lac non præſtat infantibus, ſed ſolum diligentiam & munditiam adhibet, nutricula ſicca, vetuſta, infantibus monſtrat.* Hoc tamen vocabulum, inter ἅπαξ λεγόμενα referendum, aliter explicat, Non. Marcell. cap. 1. *Aſſas nutrices difficilis multi exiſtimant intellectus.*

At vero acri intentione potuimus indagare, ob eam proprietatem officii eo nomine nuncupari, quod assint iis quos nutriant, nec vel exiguo divellantur. vid. Turneb. Adversar. lib. 24. cap. 22. & Voss. in Etymologico.

Ad has nutrices quæ tantum diligentiam adhibent, pertinent aviæ, materteræ, & ætate provectæ mulieres, quibus mandabatur infantium cura; præcipue temporibus antiquis cum ipsæ matres liberos alerent. Tunc enim eligebatur anus gravitate morum conspicua quæ omnes ex sua familia infantes educaret; Auctor Dialog. de Orator. cap. 28. *Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis, spectatisque moribus, omnis cujuspiam familiæ soboles committebatur*; & deinde; *sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Au-*

Augusti matrem, præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Illæ sæpe erant aviæ, vel materteræ, Quintilian. Declamat. 388. *Filium sustulerat, puer continuo ad Aviam translatus est.*

Postea matribus jam liberis præficientibus nutrices, mos idem remansit; & simul cum nutrice, aviæ, materteræ, infantulum educabant, unde apud Reines. Inscript. 52. Class. 12. conjunguntur avia & nutrix, in inscriptione tumuli infantis biennis, quippe quibus pueruli ad mortem usque fuerat cura.

JUVENALIS. VIX. AN. II.
M. III. D. IX. H. I.
CANULEIA. TICHE. AVIA.
ET. ERASENA. LIBAS. NUTRIX.
FECERUNT. ET. SIBI. ET.
SUIS.

Atque eædem ob educandi nepotulum curam *nutrices* dicebantur; clarum est ex Persio Sat. 2. vers. 30. vota recensente quæ die lustrico ab aviis & materteris, pro infante fiebant.

Ecce Avia, inquit, *aut metuens divum matertera cunis*
Exemit Puerum. —

subdit deinde de eisdem vers. 38.

—— *ast ego nutrici non mando vota.*

CAP. III.

Maxima nutrices cura eligendas, semper monuerunt sapientes. Quod tamen neglexerunt antiqui. Nutrici addebatur servus, nutritor *dictus. Lacænæ nutrices magni fiebant, quæ sine fasciis educabant infantes; unde multi eas suis liberis emebant. Nutrices sæpe*

pe erant servæ, *aliquando* mercede conductæ.

EXpositis ita vocabulis quibus designantur, & vario earum genere, ad ipsas nunc nutrices venio; quæ ut supra dixi ideo a matribus accersebantur, quia post dolorem partus alendi infantis laborem refugiunt. In his elegendis maxima incumbendum cura monuerunt Sapientium plurimi: probæ nutricis enim bona educatio pueris per totam vitam prodest, & contra infantium teneri animi facillime nutricum vitiis, si quædam habeant imbuuntur; Plutarch. de liber. Educand. pag. 3. Verba latina sunt. *Sin id præstare nequeant, saltem nutrices non quasvis, sed quam fieri potest maxime probas deligamus. Primum in hac re sit, ut moribus ea sint Græcanicis, sicut enim*

enim membra corporis, statim ab ipsis natalibus, infantis sunt fingenda ut recta adolescant, neque torqueantur; ita & jam inde ab initio indoles ejus informanda est. &c. Myja Philosophiæ peritissima, & inter doctas merito relata, Epistola ad Phyllidem inter fragmenta Pythagoreorum, hæc præcipit; Latine tantum adscribam. *Cum mater liberorum facta sis hæc te moneo, ut nutricem deligas aptissimam, atque mundam, præterea verecundam, & somno non deditam neque temulentiæ*; & paulo post. *Neque vero iracunda sit nutrix, neque balba, neque in sumendo cibo nullam rationem aut discrimen adhibens, sed composita, & moderata. Item si ullo modo fieri possit, non Barbara sed Græca.* Quintil. lib. 1. Instit. Orat. cap. 1. *Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus, quas si fie-*

fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubie prior ratio est, recte tamen etiam loquantur.

Sed horum præceptorum nullam habitam fuisse rationem apparet ex verbis Favorini Philosophi, apud Gell. lib. 12. cap. 1. *Præsertim si ista, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut serva, aut servilis est ut plerumque solet, externæ atque barbaræ nationis; si improba, si informis. Si impudica si temulenta est; nam plerumque sine discrimine, quæcumque id temporis lactens est, adhiberi solet.* Auctor Dialog. de Orator. cap. 29. *At nunc, natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ; cui adjungitur, unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus.* nempe

nempe nutritor, qui nutrici comes dari solebat, unde apud Polluc. lib. 3. cap. 3. Sect. 6. cum nutrice conjungitur, τίτθη, τιθήνη, τροφὸς, τροφεύς οἷς οἱ τραφέντες τρόφιμοι. *Nutrix lactans, nutritor, quibus hi, qui nutriti sunt, Alumni dicuntur.* Ita Amaltheæ lactanti Jovem, affuerunt Curetes, seu Corybantes, quod vulgatum nimis, ut ostendi debeat. De nutritoribus vid. Pignor. de Servis.

Ex nutricibus plurimi fiebant Laconicæ, quæ infantes sine fasciis educabant, ut speciem illis liberalem conciliarent. Plutarch. Lycurg. pag. 49. ἦν δὲ περὶ τὰς τροφοὺς ἐπιμέλειά τις μετὰ τέχνης, ὥστε ἄνευ σπαργάνων ἐκτρεφούσας τὰ βρέφη, τοῖς μέλεσι καὶ τοῖς εἴδεσιν ἐλευθέρια ποιεῖν. *Jam nutrices curam agebant artificiosam ut sine fasciis infantes educentes, mem-*

membra & speciem iis liberalem conciliarent. & paucis post verbis, διὸ καὶ τῶν ἔξωθεν ἔνιοι τοῖς τέκνοις Λακωνικὰς ἐωνοῦντο τίτθας. Καὶ τήνγε τὸν Ἀθηναῖον Ἀλκιβιάδην τιτθεύσασαν Ἀμύκλαν ἱστοροῦσι γεγονέναι Λάκαιναν. *Hinc mercabantur liberis, nonnulli exteri nutrices Laconicas. Etiam quæ Athenienſem nutricata eſt Alcibiadem, Amyclam, tradunt Lacænam fuiſſe.*

Nutrices autem, vel erant ſervæ, vel mercede conductæ; apud Homer. Odyſſ. α. verſ. 429. Laërtes Eurycleam emiſſe dicitur.

Εὐρύκλει' Ὦπος θυγάτηρ πεισηνορίδαο
Τήν ποτε Λαέρτης, πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν
Πρωθήβην ἔτ' ἐοῦσαν, ἐεικοσάβοια δ' ἔδωκεν.

Euryclea, Opis filia Piſenoridæ,
Quam olim Laertes emerat facul-

cultatibus suis
Impubem adhuc, & precium viginti boum dedit.

Apud Euripid. Med. verſ. 49. Pædagogus ad nutricem.

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς.

Antiquum mancipium meæ dominæ.

& ad illum rurſus nutrix, vers. 65.

Μὴ πρὸς γενείου κρύπτε σύνδουλον σέθεν.

Ne, per barbam, celes conſervam tuam

Auctor Dialogi de Orator: ſupra; *Jam primum ſuus cuique filius, ex caſta parente natus, non in cella empta nutricis, ſed gremio, ac ſinu matris educabatur.* Ita pueris nobilibus præfectas fuiſſe nobiliſſimas fœminas captivas, infra docebitur.

Nutrices aliquando non ſervas, ſed mercenarias fuiſſe, cùm ex multis

multis Auctoribus, tum ex Plutarcho apparet, libello de Liber. Educand. pag. 3. *αἱ τίτθαι δὲ, καὶ αἱ τροφοὶ τὴν εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν, ἅτε μισθοῦ φιλοῦσαι. Nutricum enim amor, subdititius. atque adscititius est, utpote mercedis gratia diligentium;* Obſervavit & hoc diſcrimen Favorinus. *Præſertim ſi iſta quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut ſerva aut ſervilis eſt.*

CAP. IV.

Nutricum infantes lactandi cura, proprie dicitur educatio. *Cunæ quid ſint exponitur. Servii error. Græcis cunæ βαβαλιστήριον, κοίτις, λίκνον, σκάφη dicuntur; ex ultimis duabus vocibus innoteſcit cunarum forma. Infantes boni ominis cauſa in vannis poſiti; aliquando & in Clypeis. Cunabulis ſignificantur*

cantur & infantium lectuli, & fascia quibus involvebantur. Nutrices priusquam deponerent in cunis, solebant lavare & lactare infantes: Cantatiunculis inconditis conciliabant somnum; Illa proprio nomine Næniæ *dicebantur: duplex hujus vocis* Etymologia. *Nænia a Græcis* καταβαυκαλήσεις *vocantur: A crebris* lalla, *qua accinebant infantulis,* Lallare *dicuntur nutrices. Infantes ipsi cum hac* lalla *imitari conarentur, dicebantur* lallare. *Crepitacula adhibebant nutrices ut eorum motu infantes in somnum verterentur. Fabulas narrare solebant. Præbita mamma vel placenta sedabant a lacrymis. Minis interdum placabant: minitabantur lupum,* μορμοῦς, *larvas &c, quas interdum ob oculos etiam illis ponebant. Mitigatis pollicebantur se occisuras lupum. Nutrices alum-*

nos

nos filios *appellabant*, *illi contra* mammulas. *Nutrices alumnorum* matres *dicta*. *Avia & nutrices die lustrico vota pro alumnis faciebant*.

PRogredior nunc ad ipsum officium & curam nutricum circa infantes. Atque primum, cura quam in illis lactandis impendebant, proprie *educatio* dicebatur. Propert. lib. 3. Eleg. 7. vers. 51.

Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & caeso mœnia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere Reges.

Ad quem ultimum versum doctissimus Passeratius. *Eductos* inquit, *id est nutritos*, *Varro de liber. educand*: *apud Nonium*; *educit obstetrix*, *educat nutrix*, *instituit*

tuit Pædagogus, docet Magister.

Dormituros infantes, in cunis nutrices deponebant. Cunæ quid ſint docet Serv: ad Virg: Æneid. 3. vers. 105.

Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ

Cunabula, inquit, *h. e. nutrimenta, nam ubi jacent infantes, cunæ vocantur*; diſcimus ex hoc loco quid ſint cunæ, videmus etiam dormitaſſe Servium, cum *cunabula nutrimenta* explicat. *Cunabula* enim heic natalem terram ſignificant, metaphora a cunabulis, quæ ſunt lectuli infantium, deſumpta; oſtendam ex ipſa auctoritate Servii, ad Eclog. 5. vers. 23. ubi dicit, *cunabula, lectuli in quibus infantes jacere conſueverunt, vel loca, in quibus naſcuntur, quaſi Cynabula, nam* κύειν *eſt græce eniti.* Hæc verba videntur illum fugiſſe, cum adſcriptum ver-

versum illustraret, quæ tamen optime Virgilii mentem exponunt. *Cunabula* pro *nutrimento* usurpari nunquam me legere memini.

Cunabula dicuntur Græcis, *βαβαλιστήριον, κοιτὶς, λικνὸν, & σκάφη*: quibus ultimis vocibus forma cunarum discitur; λίκνον enim proprie est *vannus*, *cribrum*, & σκάφη, *scapha*. Vel potius, ipsi vanni & scaphæ loco cunarum a Veteribus usurpabantur, in quibus deponebant infantes ominis caussa, in spem divitiarum omnium, & præcipue frugum terræ, ut docet Scholiast. Callimach. ad Hymn. 1. vers. 48. & ibidem Spanhemius. Sic etiam in clypeis pueruli collocabantur, in fortitudinis & virtutis bellicæ præsagium; ita apud Theocritum loco supra adscripto, ab Alcmena Hercules clypeo imponitur, ut ob-

ſervavit ad Callimachi verſum laudatum doctiſſima Daceria.

Cunabula autem, non tantum, lectulos infantium deſignant, ſed & faſcias, quibus ligabantur. Optime vertunt Gloſſæ Labbæi, *σπάργανα*, *cunabula.* vide Turneb. Adverſar. 9. cap. 10. & Salmaſ. ad Vop.ſci Aurelian. cap. 4. qui hanc inter *cunas*, & *cunabula* differentiam ponit, ut *cunas* lectulos in quibus jacent infantes, *cunabula* tantum faſcias quibus ligantur, eſſe velit. Sed refragatur Servius, & Gloſſæ, quæ *βαβαλιστήριον*, *λίκνον*, &c. *cunam*, & *cunabulum* vertunt: malim ego ex ſententia Voſſii & aliorum Doctorum credere, cunabula & pro lectulis & pro faſciis infantium ſumi.

Priuſquam vero infantes in cunis deponerent, lac præbere & lavare ſolebant nutrices, ita Alcmena ſupra Idyll. 24. Theocrit.

Ἀμ-

Ἀμφοτέρως λώσασα καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος,
Χαλκείαν κατέθηκεν ἐπ' ἀσπίδα. --
Cum ambos laviſſet, & lacte repleviſſet
Poſuit ſuper ſcutum æreum. ---

Infantibus in cunis collocatis, cantatiunculas inconditas accinebant, & ſic conciliabant ſomnum. Jam ex Theocrito, annotaverunt doctiſſimi Viri Caſaubon. ad Theophraſtum, & Gronov.Obſervat. lib. 2. cap. 1. ita Lucret. lib. 5. verſ. 232

Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Stat. 5. Thebaid. verſ. 616.

— quoties tibi Lemnon & Argo
Sueta loqui, & longa ſomnum ſuadere querela.

Hæ proprio nomine *Naniæ* appellantur; vide Lambin. ad Horat. lib. 2. Od. 1. & lib. 2. Epiſt. 1. Gloſſæ *ἀτονία*, *defectio*,

nænia. Forsan dictæ a Næniis quas exhibebant Præficæ in funeribus, nam illæ erant etiam inconditæ, & nil nisi ululatus. Non. Marcell. cap. 3. *Nænia, ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet.* Vel forte a Græca voce νύννιον, qua balbæ istæ nutricum voces designantur, (ut ex Hesychio, inter doctissimos doctissimus Josephus Scaliger, observat ad Auson. lib. 2. cap. 11.) Latinum vocabulum *nænia* derivatur.: judicabit Lector.

Græcis, *næniæ* proprie καταβαυκαλήσεις dicuntur. Athenæus lib. 14. cap. 3. αἱ δὲ τῶν τιθηνουσῶν ᾠδαὶ, καταβαυκαλήσεις ὀνομάζονται. *Cantilenæ autem nutricum lactantium, καταβαυκαλήσεις vocantur.* vide ibi, doctissimum Ca-

Casaubon. ut & ad Theophrast. cap. 7. pag. 204. & sequentibus, ubi ex multis Auctorum locis *nænias*, *καταβαυκαλήσεις*, & alias tales voces explicat; Suidas. *βαυκαλᾶν*, *τιθηνεῖσθαι μετ' ᾠδῆς τὰ παιδία*. Βαυκαλᾶν, *infantes cantillando nutrire*.

Lallare etiam dicebantur nutrices, a crebis *lalla*, *lalla*, quæ infantulis accinebant; Pers. Satyr. 3. vers. 18.

— *& iratus Mammæ lallare recusas.*

Cornutus, vel quiscunque sit Scholiastes ibi. *Nutrices infantibus ut dormiant, solent dicere sæpe lalla, lalla, lalla.* De his vide differentem Turneb. Adversar. 18. cap. 34. quo loco docet, *Lallum* fuisse Deum qui næniis illis nutricum præerat. Vide rursus eundem, lib. 19. c. 21. ut & Scaliger. Lect. Auson. lib. 2. cap. 11.

 Pue-

Pueruli ipsi, cum hæc *lalla* imitari vellent, sed perfecte non possent, *lallare* dicebantur; Stat. 5. Thebaid. vers. 614.

Heu ubi siderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta sonis? risusque, & murmura, soli
Intellecta mihi? ——

Ad ultima verba Scholiastes quem sæpe laudat Barthius. *Lallos dicit, pueruli voces, quas didicerat praeunte nutrice, non autem perfecte poterat pronuntiare.* Et ab istis infantium lallatibus, ipsæ cunæ, Græcis βαβαλιστήριον seu βαβάλιον denominatæ, quod in illis pueruli βαβάζουσι, lallant; Glossæ, βαβάζειν, *lallare.* Hesych. βαβάζειν, τὸ μὴ διηρθρωμένα λέγειν. βαβάζειν, *non formata verba loqui.*

Adhibebant simul nutrices crepitacula, quorum motu, & so-

ſono, infantes in ſomnum verterentur; conjungit cum *lallis* Lucret. lib. 5. verſ. 230.

At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræque,
Nec crepitacula eis opu' ſunt, nec cuiquam adhibenda'ſt
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Teles, apud Stob. Serm. 247. pag. 814. Πεινᾷ τὸ παιδίον, ἡ δὲ τροφὸς κατακοιμίζει, διψᾷ, ἡ δὲ λȣ́ει. κοιμηθῆναι θέλει, ἡ δὲ κρόταλον ἔχȣσα ψοφεῖ. *Eſurit infans, a nutrice ſopitur, ſitit, lavatur; dormire vult, nutrix quatit crepitaculum.*

Nutrices fabulas infantibus narrare fuiſſe ſolitas, ignorat nemo. ſic Statius, adſcripto ſtatim verſu,

— *Quoties tibi Lemnon, & Argo*
Sueta loqui. —

Hoc merito reprehendit Auctor Dialogi de Orator. cap. 29. *At nunc natus infans, delegatur Graculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus; horum fabulis & erroribus, teneri statim & rudes animi imbuuntur.* Censet etiam sapienter Plato, non quasvis fabulas infantibus esse recitandas, ne his corrumpantur, apud Plutarch. de Liber. Educand. pag. 3. Καὶ μοι δοκεῖ Πλάτων ὁ δαιμόνιος ἐμμελῶς παραινεῖν ταῖς τίτθαις, μὴ τοὺς τυχόντας μύθους τοῖς παιδίοις λέγειν, ἵνα μὴ τὰς τούτων ψυχὰς, ἐξ ἀρχῆς ἀνοίας καὶ διαφθορᾶς ἀναπίμπλασθαι συμβαίνῃ. *Ac mihi videtur divinus Plato, nutricibus prudenter præcepisse, ne quasvis fabulas pueris recitent, ne horum animi a principio stoliditate, ac pravitate occupentur.* Ute-

Utebantur variis artibus Nutrices, ad sedandas infantium lachrymas; mammam vulgo, quod & adhuc fit, præbebant. Plutarch. de Liber. Educand. pag. 9. Καὶ μιμεῖσθαι τὰς τίτθας αἵτινες ἐπειδὰν τὰ παιδία κλαυθμυρίσωσιν: εἰς παρηγορίαν πάλιν τὸν μαστὸν ὑπέχουσι. *Imitandaque in hoc genere nutrices, quæ infantes cum ad fletum provocarunt, rursum ut consolentur, mammam præbent.* Placentis sæpe eos leniebant nutrices & alii. Arrian. in Epictet. lib. 2. cap. 16. Τὰ γοῦν παιδία εὐθὺς ὅταν κλαύσῃ μικρὰ τῆς τίτθης ἀπελθούσης, πλακούντιον λαβόντα ἐπιλέλησαι. *Pueri quidem cum primum plorant nutrice paulum digressa, placentula accepta ploratus obliviscuntur.*

Minas interdum adhibebant ut infantes placarent; sic minitabantur Lupum. Æsopus, (si saltem fabularum Auctor sit,

de quo merito Doctorum multi dubitant;) Fabul. 138. λύκος γενόμενος κατά τινα τόπον, ἤκουσε παιδίου κλαίοντος καὶ γραὸς λεγούσης αὐτῷ παῦσαι τοῦ κλαίειν. Ἐι δὲ μὴ, τῇ ὥρᾳ ταύτῃ ἐπιδώσω σε τῷ λύκῳ. *Lupus profectus ad quendam locum, audivit lugentem puerulum, eique dicentem anum, desine plorare, sin minus, hac hora tradam te lupo.* Anus nomine, forsan heic designatur avia, quam aut cum nutrice confudit, (nam avias, nutrices dici jam ostensum.) aut per anum ipsam designari nutricem, putavit Avienus, fabula Æsopia, 1.

Rustica deflenti parvo, juraverat olim
Ni taceat, rapido quod foret esca lupo.

deinde, vers. 13. dicit lupus ad lupam.

Nam qua preda? rogo, qua spes con-

contingere posset?
Jurgia nutricis, cum mihi verba darent.

Larvis ad terrorem infantibus incutiendum, sæpe etiam utebantur; quas vel induebant servi & sic se coram puerulis sistebant, vel tantum illis minitabantur nutrices. Græci μορμοις infantes terrebant; Glossæ, μορμω, *larvæ* Hesychius, μορμοὶ, φόβοι κενοὶ, sic enim bene legunt Docti quidam. Late de larvis, lamiis & talibus terriculamentis, quæ minitabantur & etiam ob oculos ponebant pueris Antiqui, vide Cl. Spanhemium, Virum in quo stupenda eruditio & maximi honores certant, ad Callimach: Hymn. in Dian: vers. 67. & 69. & ibidem doctissimam Daceriam. Addam tantum dictum Æsopi quo mercatori ut se emat persuadet, in ejus vita pag. edition: Neve-

let. 13. *Καὶ ὁ Αἴσωπος· οὐ πάρεσι σοι παιδία οἴκοι ἀτακτοῦντα κὴ κλαίοντα; τούτοις ἐπιςησόν με παιδαγωγὸν, καὶ πάντως αὐτοῖς ἀντὶ μορμοῦς ἔσομαι. Et Æsopus, nonne adsunt tibi pueruli domi turbulenti & flentes? his præfice me Pædagogum, & omnino eis pro larva ero.* & paulo post cum ad domum mercatoris accessissent, infantesque parvuli duo terrore fuissent perturbati, inquit ad dominum Æsopus *ἔχεις μου τῆς ἐπαγγελίας ἀπόδειξιν. Habes meæ pollicitationis probationem.*

Placatos vero infantes leniebant, Lupum se occisuras pollicentes. Æsopus allata fabula. *ὡς δ' ἑσπέρα κατέλαβεν ἀκούει πάλιν τῆς γραὸς κολακευούσης τὸ παιδίον, καὶ λεγούσης αὐτῷ, ἐὰν ἔλθῃ ὁ λύκος δεῦρο, φονεύσομεν ὦ τέκνον αὐτόν. Sed cum advenisset vespera, audit rursus anum blandientem puerulo, ac dicentem, si venerit lupus*

Digitized by Google

pus huc, interficiemus eum fili. Nota ex eiſdem verbis, alumnos a nutricibus *filios* fuiſſe appellatos, quod & aliis auctorum locis heic firmarem, niſi de hoc eſſet infra agendi locus.

Infantes contra, matres & nutrices ſuas, *mammas* vel *mammulas* vocabant. Perſ. Sat. 3. vers. 18.

— *& iratus mammæ, lallare recuſas.*

ubi videndus magnus Caſaubonus, ut & Turneb. Adverſar. 18. 34. qui mammam hoc loco pro nutrice poni, ex Martiali oſtendit; ita Arſace nutricem Cybelen *μαμμίδιον* appellat, apud Heliodor. lib. 7. pag. 319. Reines. Claſſ. 11. Inſcript. 61.

MAMMULÆ PIISSIMÆ
BENE MERENTI.

Nutrices aliquando & matres alumnorum dicebantur. Nonius. cap. 6. in voce *genitrix*. *Genitrix a matre hanc habet distantiam*: *quod genitrix semper quæ genuerit*, *nuncupatur*: *Matĕr vero aliquando pro nutrice ponitur*: *Virg. libro VIII.*

Geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, *& lambere matrem.*

Plaut. Manech. Ita forma similes pueri, *ut mater sua*
Non internosse posset, *quæ mammam dabat*,
Neque adeo mater ipsa, *quæ illos pepererat.*

vid. eundem in *Mater.*

Absolvo caput, vota observando, quæ aviæ & nutrices pro infantulis, lustrico eorum die (qui octavus in puellis, nonus in pueris post partum erat, ut doctissime ostendit Casaubonus) facere solebant. Perſ. Sat. 2. verſ. 31. loco jam laudato. *Ecce*

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Reginæ; puellæ
Hunc rapiant; quicquid calcaverit hic rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota. —

Hæc omnia eruditissime explicata, operæ prætium erit in commentario Casauboni ad hanc Satyram respicere. Horat. lib. 1. Epist. 4.

Quid

Quid voveat dulci nutricula majus alumno
Quam sapere, & fari ut possit quæ sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo, contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena.

CAP. V.

Nutrices præerant institutioni Puellarum: antiquissimus Hebræorum mos; a quibus ad cæteras gentes defluxit. Illæ nutrices erant eadem quæ olim alumnas lactaverant. Maximus inter nutrices, & inter alumnos alumnasve mutuus amor: a quo amore ortæ sunt blandæ compellationes quibus invicem nutrices alumnique sese compellabant; sacrum caput, nutricula, μαῖα. *Nutrices alumnos alumnasque* filios *&* filias,

lias, *illi contra nutrices* matres *appellabant. Maxima alumnorum in nutrices pietas, & maximus nutricum erga alumnos amor, exemplis firmantur. Unde factum, ut in flagitiis & facinoribus sæpe alumnas adjuvaverint nutrices. Virginibus tamen ideo erant præpositæ, ut earum pudori invigilarent, unde semper illis aderant; & ante fores cubiculi earum cubabant. Nuptis semper etiam ex amore adhærebant; qui mos Romæ in luxum versus est. Nutrices nobilium, sæpe genere claro oriundæ, sed bello captæ erant; firmatur exemplis Carmes & Hipsipiles.*

NUtricum circa infantes diligentiam, excipit nobilior in virgines cura. Nutrices enim quas aluerant Puellas, provectiores ætate semper comitabantur,

bantur, & institutioni earum præerant, more jam antiquissimis temporibus recepto; legimus enim Genes. 24. comm. 59. Rebeccam nutricem habuisse. verba sunt, *dimittentes itaque sororem Rebeccam, & nutricem ejus.* Quæ consuetudo, ab Hebræis absque dubio ad cæteras gentes propagata est.

Nutrices has easdem fuisse quæ lactaverant, cum ex multis auctorum locis, tum præcipue ex Ceiri Virgiliana apparet, quod Poëma Scaligero in castigationibus ad Catullum teste, merito divinum appellari potest; vers. 224. Carme nutrix ad Scyllam.

Et simul, ô nobis sacrum caput inquit alumna.

& vers. 245.

Per tibi Dictynna præsentia numina juro
Prima Deum, quæ te mihi dulcem

cem donat alumnam, &c. Dianam quam & Dictynnam, ex hoc versu; sed præcipue ex 305. dictam patet, idcirco dicit, *primam Deûm sibi Scyllam alumnam dedisse*, quoniam uti notissimum, Diana partubus præerat. Scylla ad Carmen vers. 274.

Quod te per divûm crebros obtestor amores
Perque tuum memoris, haustum mihi pectus alumnæ.

loco *memoris*, egregie *memori*, h.e. mihi *memori* & *gratæ*, legit litterarum Heros Josephus Scaliger, ut id in transcursu moneam. Ita & Arsacen Satrapæ uxorem, Cybele anus τροφίμην vocat, apud Heliodor. lib. 7. pag. 317.

Ab hac nutritione & educatione a prima infantia, nutricum & alumnorum alumnarumve in tantum amor crevit, ut non tantum paterno amori æquiparare, sed & ante-

anteferre ausi sint sapientes. Clem. Alexandr. Pædagog. lib. 1. cap. 6. pag. 106. Τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι, πολλάκις πλείω πορίζει φίλτρα, ἢ φῦσαι τέκνα. *Aluisse autem, inter homines sæpe affert plura amoris incitamenta, quam procreasse liberos.* Quæ ad verbum, Græcorum Poëtarum lectione imbutus Clemens, ex Euripide mutuatus est; sic enim ille apud Stob. Sermon. 197. pag. 673.

Τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι πολλάκις
Πλείω πορίζει φίλτρα, ἢ φῦσαι
τέκνα.

Vetus Scholiastes Barth. ad Stat. Theb. 5. vers. 632. *Matre non inferior sæpe, dilectio nutricis.* Nolo pulcherrima in hanc rem Statii carmina 2. Sylv. 1. vers. 82. omittere.

Fas mihi, sanctorum venia dixisse parentum

Tu-

Tuque oro natura ſinas, cui prima per orbem
Jura animis ſociare datum: non omnia ſanguis
Proximus, aut ſerie generis demiſſa propago
Alligat; interius nova ſæpe adſcitaque ſerpunt,
Pignora connexis. (loquitur de Nutritore.) *natos genuiſſe neceſſe eſt,*
At legiſſe juvat. Tenero ſic blandus Achilli,
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.

& verſ. 86.

Quid referam, altricum victos pietate parentes.
Quid te poſt cineres deceptaque funera matris
Tutius Inoo reptantem pectore Bacche.
Jam ſecura parens, Thuſcis regnabat in undis

Ilia;

Ilia; portantem laſſabat Romulus,
Accam.

Et ab amore iſto, blandæ ortæ ſunt illæ compellationes, quibus nutrices & alumni ſeſe compellabant; ita Carme ſupra,

Et ſimul, ô nobis ſacrum caput,
inquit, alumna;

Scylla, contra ad Carmen, verſ. 257.

Illa autem, quid nunc me, inquit nutricula torques.

Sic nutrices ab alumnis apud Græcos in honorem μαῖαι vocabantur. Heſych. hac voce καὶ προσφώνησις, πρὸς πρεσβύτιν τιμητική, ἀντὶ τοῦ ὦ τρόφε. *Eſt & compellatio honorifica, ad natu majorem, loco τοῦ nutrix.* Pollux ſupra Καὶ ἡ γάλα παρέχουσα, τίτθη, καὶ μαῖα. Homer. Odyſſ. 19. verſ. 15.

Ἐκ δὲ καλεσσάμενος, προσέφη
τροφὸν Εὐρύκλειαν

Μαῖ'

Μαῖ' ἄγε. ——

Extra autem vocatam, allocutus est nutricem Eurycleam

Nutrix, age. ——

Et Odyss. 22. vers. 11. & vers. 35. atque sæpe, eodem libro. Euripid. Hippolyt. vers. 243.

Μαῖα πάλιν μου κρύψον κεφαλάν

Nutrix tege rursus caput meum.

Imo parentum instar, nutrices alumnos *filios*, *filiasve*, illi contra eas *matres* appellabant. Homer. Odyss. 19. vers. 21.

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε φίλη τροφὸς εὐρύκλεια

Αἲ γὰρ δήποτε τέκνον, ἐπιφροσύνας ἀνέλοιο.

Hunc autem rursus allocuta est, dilecta nutrix Euryclea

Utinam enim jam tandem, fili prudentiam suscipias.

& Odyss. 22. vers. 486. & lib. 23. in princip. Apud Euripidem Hippolit. vers. 204. Nutrix ad Phædram. Θάρσει

Θάρσει τέκνον καὶ μὴ χαλεπῶς
Μετάβαλλε δέμας. —
Forti animo ſis filia, neque moleſte
Agites corpus. —

& paulo poſt. *ὦ παῖ τί θροεῖς. o filia, quid dicis.* atque paſſim in eadem Tragoedia. Puella ad nutricem apud Ariſtenæt. lib. 1. Epiſt. 6. *νὴ τὴν ἄρτεμιν ὦ μῆτερ.* & rurſus in fine Epiſtolæ: *τί φῂς ὦ μῆτερ; τοῦτο δέδοικα, μάλιστα πάντων. Quid ais? o Mater nihil eſt, quod metuam magis.* Arſace pariter ad nutricem apud Heliodor. lib. 7. pag. 317. *βέβλημαι εἶπεν ὦ μῆτερ.*

Et ab hoc amore maxima ſæpe fluxit alumnorum in nutrices pietas. Notum Virgil. lib. 7.

Tu quoque littoribus noſtris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Cajeta dediſti.

Inde

Inde maximus Alexandri dolor, ob occiſum a ſe inter pocula Clytum, nutricis fratrem apud Curt. lib. 8. cap. 2. *Quo nunc ſe conferet miſera? omnibus ejus unus ſuperſum*, (inter filios & propinquos nutricis, quod ex præcedentibus verbis patet, ſe quoque numerat) *quem ſolum æquis oculis videre non poterit; & ego ſervatorum meorum latro, revertar in patriam, ut ne dextram quidem nutrici, ſine memoria calamitatis ejus offerre poſſim.*

Nutrices contra, in quibuſvis caſibus adverſis, omnem quam poſſent in conſolandis alumnis & alumnabus curam adhibebant, eorumque dolorem pro viribus levare conabantur: Suet. Neron. cap. 43. *Utque reſipuit, veſte deſciſſa, capite converberato, actum de ſe pronuntiavit; conſolantique nutriculæ, & aliis quoque jam principibus ſimilia accidiſſe, memoranti &c.* Re-

 ſpice

spice Ovidium Epist. Heroid. 11 vers. 33. & sequentibus.

Imo tanta earum in alumnas indulgentia fuit, ut sæpissime in flagitiis & facinoribus adjuvaverint. Notum ex 10. Metam: Ovidii, nutricem suis artibus, Myrrhæ cum patre concumbendi copiam fecisse; ita & in Ciri Carme, Scyllæ comitem ad secandum Nisi purpureum crinem se addit: apud Heliodor: lib. 7. pag. 317. Cybele nutrix pollicetur Arsacæ, effecturam se ut a Theagene redametur, ibidemque de se ipsa prædicat, id sæpe alumnæ præstitisse; ἔργοις δὲ οἶμαι, πολλάκις τὴν πεῖραν εἴληφας. *Re ipsa vero, sæpius, ut existimo, id ipsum experta es.* vide ibi Bourdelotium. Sic & nutrix apud Euripidem, Hippolitum Phædræ quæ ejus amore capta erat, propitium reddere conatur. Possem & alia multa congerere

rere exempla, ſed hæc ſufficiunt.

Ideo tamen virginum cura nutricibus mandabatur, ut honori & pudori earum invigilarent. Tibull. lib. 1. Eleg. 3. vers. 83.

— *ſanctique pudoris*

Aſſideat cuſtos, ſedula ſemper anus.

Hinc ſemper aderant alumnabus ut actiones earum dirigerent; patebit ex Dionys. Halicarnaſſ. lib. 3. pag. 157. quo loco de Horatio victore agit, urbem cum acclamationibus totius populi ingredientem, ad quem, propter occiſum ſibi deſponſum Curiatium, furibunda ſoror convitia dictura accurrit, ὥσπερ αἱ μαινάδες ἐφέρετο, inquit, πρὸς τὰς πύλας, οὐδὲν ἐπιστρεφομένη, τῆς ἀνακαλούσης, τέ καὶ μεταδιωκούσης τροφοῦ. *Bacchabunda ferebatur ad portam, nutricem fruſtra inſequentem, ac revocantem, nil reſpiciens.* Memoratur & nutrix a Polluce, inter ſponſæ comites. lib. 3. cap.

3. Sectione. 4. ἡ δὲ τροφὸς τῆς κόρης, τιθήνη. *Sponsa vero curam gerens vocatur nutrix.*

Quapropter, in vestibulo cubiculi alumnarum cubare nutrices solebant; unde *custodes liminis* dictæ. Ovid. Metam. 10. vers. 383.

Murmura verborum, fidas nutricis ad aures
Pervenisse ferunt, limen servantis alumnæ;
Surgit anus, reseratque fores. —

idem Epistol. Heroid. 21. verf. 19.

Huc timor accedit, ne quis nisi conscia nutrix
Colloquii nobis sentiat esse vices.
Ante fores sedet hac: quid agamque rogantibus imus:
Ut possim tuto scribere, dormit, ait.

Heliodor. lib. 7. pag. 317. ἕως δὴ, τις πρεσβύτις, ὄνομα Κυβέλη, των θαλαμηπόλων, καὶ συνήθως τὰ ἐρωτικὰ

τικὰ τῇ Ἀρσάκῃ διακονουμένων, εἰς δράμουσα εἰς τὸν θάλαμον. &c. *Nisi quædam anus, nomine Cybele, custos cubilis, & rerum venerearum Arsaces ministra, incurrisset in thalamum.* respiciendus ibi Bourdelotius. Ex Ciri Virgiliana idem colligi potest, vers. 220.

Quam simul, Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere sensit anus, (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine, cardo.)

& ex vers. 255.

Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem, quam rettulit intra.

vide & versum 347. Alios præterea modos, quibus virginum pudorem servabant, multi jam Docti ex Catullo observarunt.

Atque, non tantum innuptis

ſemper aderant nutrices, ſed & jam nuptis: his præ amore, illis propter pudicitiam & curam morum. Ita apud Euripid. in Med. verſ. 52. miratur Pædagogus quaſi rem inſolitam, Medeam præ dolore, ſolam & ſine nutrice eſſe; rogat itaque nutricem.

Πῶς, σοῦ μόνη Μήδεια, λείπεσθαι θέλει;

Quomodo, ſine te, ſola Medea relinqui vult?

in ejuſdem Hippolito, Phædræ ſemper adeſt nutrix; & paſſim apud Græcos Latinoſque Tragicos, Reginis, clariſque mulieribus ipſæ nutrices comites ſemper ſunt; eodem modo quo hodie illæ, quæ idiomate Gallico *Confidentes* dicuntur. Ratio eſt, quod perſpecta fidelitate ab infantia prima, illis intimos animi ſenſus alumnæ aperiebant, atque in earum fide maxime acquieſcebant; huc & refer

refer. quæ statim adscribebamus de auxilio in omni occasione a nutricibus præstito.

Qui mos nutricum, his de caussis semper alumnabus assistendi, ut omnia fere Romæ in luxum versus est. Nulla enim foras prodibat nobilis fœmina, quin inter immanem ancillarum istum comitatum (de quo obiter moneo videndum esse doctissimum Mercerum, ad Aristenæt. Epist. 9. libr. 1.) nutricem haberet. Declarat Juvenal. Sat. 6. vers. 354.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam cui det mandata puellam.

Sed quod innuebam supra & pene oblivifcebar, nobilium infantium & virginum nutrices, ipsæ sæpe nobilissimæ sed bello captæ

erant. Jesaias, cap. 49. commat. 23. *Et erunt Reges nutricii tui, & fœminæ principes eorum, nutrices tuæ.* Ita Carme Scyllæ nutrix, Phœnicis filia dicitur in Ciri, vers. 220.

Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme,
Surgere sensit anus. —

qui Phœnix Agenoris fuit filius. Antonin. Liberal. fab. 40 Κασσιεπείας της Ἀραβίου, καὶ Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος, ἐγένετο Κάρμη. *Carme, fuit filia Cassiepeiæ, Arabii filiæ, & Phœnicis, Agenoris filii.* Eubuli tamen filiam eam facit Pausanias, ut jamdudum monuit Scaliger. Eandem captivam fuisse, discimus ex Ciri, vers. 290; ubi ipsa hæc dicit.

Tene ego, tam longe capta, atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,

Estu-

Effugere, ut sistam exitium crudele meorum.

Sic & Hypsipile Archemori nutrix, apud Stat. 5. Thebaid. vers. 610. ob Archemorum a serpente interfectum, ita queritur.

O mihi desertæ natorum dulcis imago
Archemore. O rerum & patriæ solamen ademptæ,
Servitiique decus, qui te mea gaudia, fontes
Extinxere Dei. —

Famulam & hanc vocat Lycurgus Archemori pater, vers. 686.

Si vilem, tanti premerent cum pectora luctus
In famulam jus esse ratus, dominoque, ducique.

Nobile autem ejus genus ex fabulis satis notum, vid. Hygin. fab. 74. & Ovid. Epist. Hypsipiles ad Jasonem. Illud & ipsa narrat, initio libri, vers. 38.

Hoc memorasse sat est. Claro generata Thoante
Servitium Hypsipile vestri fero capta Lycurgi.

& vers. 671. Tydeus ad Lycurgum.

— Sed non sedato pectore Tydeus
Subjicit. Anne ducem, servatricemque cohortis
Inachiæ, ingratis coram tot millibus audes
Mactare in tumulos? (quanti prô funeris ultor!)
Cui regnum, genitorque Thoas, & lucidus Evan
Stirpis avus. —

CAP. VI.

Pædagogi primi post nutricem puerorum curam suscipiebant. Vox pædagogus, fit a Græco παιδαγωγὸς quod est *παιδῶν ἀγωγὸς. dicunt etiam*

etiam Græci παιδευτὴν. Appellari posset latine instituor. Instituere *est Græcis παιδεύειν. Educandi liberos curam proprie ad Patres pertinere ostenditur. Pædagogos maxima eligendos diligentia censuerunt Sapientes. Quod vulgo tamen neglectum est. Pædagogi erant aut servi & quidem vilissimi servorum, aut mercede conducti ex ima plebe; illud merito culpat Plutarchus. Lycurgus melius consulebat educationi Puerorum, ex Magistratibus enim summis sapientissimum virum eligebat qui illis præesset. Dicebatur hic παιδονόμος.*

DIsseruimus hactenus, de administratione puellarum, quæ semper penes nutrices remanebat. Agendum restat de puerorum educatione; qui cum ad eam jam ætatem pervenissent, in qua ad discenda rudimenta pri-

ma apti ſunt, ſtatim Pædagogis mandabantur, hi enim primi poſt nutricem, puerorum curam ſuſcipiebant. Teles, apud Stob. ſermon. 247. pag. 815. εἰ δ' ἐκπέφευγε τὴν τιτθὴν παρέλαβε πάλιν ὁ παιδαγωγὸς, παιδοτρίβης, &c. *ubi jam nutricem effugit infans, aſſumit ipſum Pædagogus, Pædotriba &c.*

Vocem, *Pædagogus*, ut pleraque artium, & diſciplinarum vocabula, a Græcis mutuati ſunt Romani; παιδαγωγὸς illis dicitur, quaſi παιδῶν ἀγωγὸς, teſte Clement. Alexandr. lib. 1. Pædagog. cap. 5. Vocatur etiam παιδευτὴς, Heſychius, παιδαγωγὸς, παιδευτὴς, καὶ τὰ ὅμοια. Vocabulum Latinum quo deſignetur nullum invenies. Dici poſſet *Inſtitutor* ab *inſtituendo*, cum pædagogi officium proprie ſit *inſtitutio*, ut ex Varrone apud Nonium

vidi-

vidimus supra. Instituere Græcis est, παιδεύειν παιδοτροφεῖν, vide Hesychium, & Pollucem lib. 2. cap. 2. sect. 11. institutionis officium qua in re consistit, videbimus postea.

Et uti lactandi ad Matres, sic & liberos instituendi cura proprie ad Patres pertinet; sed quoniam, alii mites nimis sunt in educandis quos procrearunt liberis, facileque in culpis eorum connivent, alii contra nimis severi nihil non in filiis culpant, quo melius ad virtutis rectam normam conforment, & ut inquit Latinus Pacatus Panegiric. ad Theodos. *severi patres, his quos diligunt filiis, tristiores sunt.* Factum, ut adhibiti fuerint extranei, qui absque discrimine, bene se gerentes pueros laudarent, corrigerent delinquentes.

Hos non minori diligentia

quam nutrices eligendos, omni tempore Sapientes censuerunt: facillime enim pædagogorum vitia contrahunt pueri; ita de Leonide, Quintil. 1. Instit. Orator. cap. 1. *siquidem Leonides Alexandri Pædagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quæ robustum quoque, & jam maximum Regem, ab illa institutione puerili sunt prosecuta.*

Nihilominus tamen, perfunctoriam tantum levissimamque, in eorum delectu quos liberis præficiebant operam solitos conferre parentes ex eo patet, quod servis, & quidem ultimis minimisque servorum, aut vilibus mercenariis, atque ex fece plebis hominibus, tantam curam vulgo commiserint. Clem. Alexandr. Pædagog. lib. 1. cap. 7. Ἀλκιβιάδου δὲ τὴν πορνείαν, ὁ Θρᾶξ ἐπισχεῖν

οὐκ

οὐκ ἴσχυσε Ζώπυρος, ἀλλ' ὠνητὸν ἀνδράποδον ὁ Ζώπυρος ἦν. καὶ τῶν Θεμιστοκλέους παίδων ὁ παιδαγωγὸς Σίκιννος οἰκέτης ῥάθυμος ἦν. *Neque vero Alcibiadis scortationem Thrax Zopyrus reprimere potuit, sed erat emptitium mancipium Zopyrus; & Themistoclis liberorum Pædagogus Sicinnus, ignavus fuit famulus.* Puerorum Jasonis pædagogus, apud Euripid. Med. verf. 65 supra allato, servus a nutrice dicitur;

Μὴ πρὸς γενείου, κρύπτε σύνδουλον σέθεν.

Ne per barbam celes, conservam tuam.

Ipsius Claudii Pædagogus, apud Suet. cap. 2. ejus vitæ, *Superjumentarius servus* fuisse fertur.

Quod ut ineptum & valde absurdum, merito culpat Plutarch. de Liber. Educand. pag. 4. quid enim quæso? ex talibus Pædagogis

gogis imitari poterant pueri, quod non esset vitiosum, & nihil nisi rusticitatem morum, & abjectionem animi redoleret. Verba latina sunt. *Postquam eo ætatis puer pervenit ut jam sit pædagogo subdendus, ibi tum adhibenda est curatio, ne filios nostros, per imprudentiam, mancipiis, aut barbaris, aut levibus hominibus, tradamus; Nam plusquam deridiculum est quod plerisque hodie usuvenit: qui cum servorum quos habent probos, alios agricultura, alios rei nauticæ, alios mercaturæ, alios administrationi rei familiaris, alios exercendæ usuræ adhibeant; si quod inveniunt mancipium ebriosum, ac gulæ deditum, & ad omnia inutile negotia, illud liberis præficiunt.*

Neque minus ex eo derideri merentur patres, quod postquam educandos filios servis & mercenariis tradiderant, ipsi nec quomodo

modo docerentur, nec qualia diſcerent, an bene maleve inſtituerentur, nunquam examinarent; hoc etiam optime reprehendit Plutarchus eodem libro, pag. 9. Latinè adſcribam, Græcis enim non opus eſt, cum non verborum, ſed tantum ratiocinationis vi utamur. *Culpandi autem ſunt, parentes nonnulli, qui poſtquam filios ſuos Pædagogis magiſtriſque commendaverunt, ipſi, quid diſcatur neque inſpiciunt unquam, neque inaudiunt, magno ſane cum errore. Oportebat enim ipſos intervallo paucorum dierum, ſubinde explorare puerorum profectus, neque in mercenarii voluntate, omnem ſpem collocare.* Apparet ex ultimis verbis, aliquando adhibitos fuiſſe mercenarios, quod & loco priori videtur etiam indicare Plutarchus, *adhibenda eſt curatio*, inquit, *ne filios noſtros, per imprudentiam, man-*

mancipiis, aut barbaris, aut levibus hominibus tradamus. Idem, Lycurg. pag. 50. τῶν δὲ Σπαρτιατῶν παῖδας, οὐκ ἐπὶ ὠνητοῖς, οὐδὲ μισθίοις ἐποιήσατο παιδαγωγοῖς ὁ Λυκοῦργος. *Lacedemoniorum liberis, non præposuit Lycurgus emptitios, aut mercenarios Pædagogos.*

Consulebat multo melius educationi infantium, sapientissimus Lycurgus, qui non tantum Lacædemoniorum liberos vilissimis hominibus non fidebat, sed etiam ex nobilissimis clarissimisque magistratibus, omni virtutis genere conspicuum virum eligebat qui pueris præesset, & esset παιδονόμος. Xenoph. de Republ. Lacon. apud Stob. Serm. 145. pag. 465. Ο γὰρ Λυκοῦργος, ἀντὶ μὲν τοῦ ἰδίᾳ ἑκάστοις παιδαγωγοὺς δούλους ἐφιστάναι, ἄνδρα ἐπέστησε κρατεῖν αὐτῶν, ἐξ ὧν περ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται.

λεῖται. Τοῦτον δὲ κύριον ἐποίησε, καὶ καθίζειν (vel ἀθροίζειν, utrumque enim legitur) τοὺς παῖδας καὶ ἐπισκοποῦντα, εἴ τις ῥᾳδιουργοίη, ἰσχυρῶς κολάζειν. *Lycurgus enim, pro servis Pædagogis, quos, privatim pueris quisque præficit, virum præesse illis voluit, ex eorum numero, e quibus maximi magistratus constant; qui quoniam pueros moderatur, Pædonomus appellatur. Huic vero, potestatem dedit ut & pueros congregaret, & quem versute aut nequiter quicquam patrare observasset, acerrime cæderet.*

CAP. VII.

Varia Pædagogorum officia, in pueros, puellas, & delicatorum puerorum coetum. Pædagogi proprium est monere pueros. Monebant interdum futilia, sæpe & pulchra. Vultu severo vel senes

fere

fere semper finguntur. Monendi consuetudine vulgo superbi erant adeo, ut omnibus se sapientiores crederent. Hinc in reliquos servos imperium exercebant, & verberibus excipiebant. Ducebant semper alumnos in viis; illis addebantur Capsarii. Sequebantur alumnos. Deducebant & reducebant ex schola. Assidebant eis in Theatro. Quotidie cibi portionem præbebant. Alumni eos appellabant Dominos: *interdum* Pappas, & Tattas. *Pædagogi contra*, filios *illos nuncupabant. Pædagogorum in puellas cura. Pudori earum invigilabant: a prima infantia jam eis præpositi fuerant: plerunque erant iidem, qui olim puellarum patres educaverant. Coetus delicatorum Puerorum qui dicebatur* Pædagogia, *erat sub Pædagogo.*

Vi-

VIdimus jam quales fuerint Pædagogi; dicendum sequitur qua de causa illos semper filiis addiderint Veteres. Nempe, ut prima litterarum elementa docerent, (quod proprie est *instituere*) ut bonis imbuerent præceptis, mores conformarent, atque educationi eorum invigilarent, hoc erat Pædagogi officium, hæc omnis cura. Custodes aliquando puellis dabantur, sed maximam partem jam senes, & qui olim ipsorum patrum educatores fuerant. Erant & alii Pædagogi quorum curæ committebatur coetus ille delicatorum puerorum, quem habebant vulgo nobiliores, quique *Pædagogium* vel *Pædagogia* dicebatur. De hac triplici cura, agam hoc capite, sed breviter non secus ac in præcedentibus, Diatriben enim non librum scribo.

Pæda-

Pædagogi ergo officium erat, alumnos monere, bonisque præceptis & exemplis majorum, vel virtutibus clarorum hominum frequenter adductis atque repetitis, stimulum addere; Senec. Epist. 89. *Nam eum locum, qui monitiones continet sustulit, & Pædagogi esse dixit, non Philosophi.* vid. eund. Epist. 94. Arrian. in Epictet. lib. 3. cap. 19. ἄνθρωπε, μὴ γὰρ ἐκείνου σε παιδαγωγὸν κατεστήσαμεν, ἀλλὰ τοῦ παιδίου ἡμῶν, τοῦτο ἐπανόρθου, τοῦτο ὠφέλει. *Homo, nunquid illi te Pædagogum præfecimus, & non filiolo nostro? hunc corrige hunc juvato.* Adhortari, proprium pædagogi esse, apparet ex integro Clementis Alexandrini libro primo Pædagogi, & etiam ex sequentibus libris; vide præcipue caput 1. libri primi.

Admonebant autem sæpe & futilia, ut *ambulare in via demisso capite,*

capite, *uno digito salsamentum*, *duobus tangere piscem*, *&c.* vide Pignor. de Serv. cap. 236. qui id ex Plutarcho docet. Laudabant aliquando & pulchra, sic crebros cum alumnis sermones habebant de fortibus & prudentibus Heroum factis, ac de virtutibus eorum civilibus & bellicis. Lucian. Amorib. pag. 1061. πάλιν γὰρ αὐτῷ διδάσκαλοι, καὶ παλαιῶν ἔργων αἰνιττόμεναι, καὶ ἐπιμελούμεναι μνῆμαι τίς ἀνδρεῖος ἥρως, ἢ τίς ἐπὶ φρονήσει μαρτυρούμενος, ἢ οἷοι δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην ἠσπάσαντο. Τοιαύταις ἀρεταῖς, ἁπαλὴν ἔτι τὴν ψυχὴν ἐπάρδων, &c. *Rursum enim*, *ipsi Præceptores*, *&* *veterum operum exempla insinuantes*, *&* *curantes recordationes*, *nempe quis heros fortis fuerit*, *quis ob prudentiam publico testimonio cohonestatus*, *aut qui justitiam ac temperantiam amplexati fuerint.* *Hujusmodi*

di virtutibus, tenerum adhuc animum imbuens; &c.

Hinc sæpissime vel senes, vel vultu severo finguntur: notum Suetonii, Neron. cap. 37. *Pæto Thraseæ Nero objiciebat, tristiorem & Pædagogi vultum.* Semper fere, eos senes in Tragoediis Poëtæ inducunt, ut monita majoris ponderis & auctoritatis sint; ita apud Euripidem in Phœnissis Pædagogum valde senem esse videmus; quem cum alloquitur Antigona senem semper appellat. vers. 125.

> Αὔδασον, ὦ γεραιὲ, τίς ονομάζεται.
>
> *Dic, o senex, quomodo nominatur.*

& vers. 143.

> Σὺ δ' ὦ γέρων, πῶς αἰσθάνῃ σαφῶς τάδε;
>
> *Tu vero, o senex, quomodo scis certo hæc?*

vid.

vid. & verſ. 161. &. 175. &c.

Atque hac docendi & monendi alumnos conſuetudine, inflati adeo & elati plerunque erant ſervi iſti, abjectiſſimi hominum, ut nullum ſibi doctiorem crederent, omnibus contra ſe ſapientiores reputarent. Quintilian. lib. I. Inſtit. Orator. cap. I. De *Pædagogis hoc amplius, ut, aut ſint eruditi plane, quam primam eſſe curam velim, aut ſe non eſſe eruditos ſciant. Nihil enim pejus eſt iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progreſſi, falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam poteſtatis, quo fere hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi, atque interim ſævientes ſtultitiam ſuam perdocent.* Hinc non in pueros tantum, ſed & in reliquos ſervos imperium exercere volebant, quos excipiebant

K ali-

aliquando verberibus. Arrian: in Epictet. lib. 3. cap. 19. πάλιν ἂν μὴ εὕρωμεν φαγεῖν ἐκ βαλανείου, οὐδέ ποθ' ἡμῶν κατασέλλει τὴν ἀθυμίαν ὁ παιδαγωγὸς, ἀλλὰ δαίρει τὸν μάγειρον. *Rursus, si quando a balneo cibum non invenerimus, nunquam pusillitatem, animi nostri compescit pædagogus sed coquum verberibus afficit.*

Jam, ut mores alumnorum observarent, semper & ubique illis comites erant. Sic in viis eos solebant ducere, Ælian. lib. 14. Variar. cap. 20. Συβαρίτης ἀνὴρ παιδαγωγὸς (καὶ γὰρ οὖν μετὰ τῶν ἄλλων Συβαριτῶν, ἢ αὐτοὶ ἐτρύφων) patet ex hac parenthesi, severiores præ cæteris mores affectasse pædagogos, ut dicebam statim, quodque in obitu moneo) τοῦ παιδὸς ὃν ἦγε διὰ τῆς ὁδοῦ, ἰσχάδι περιτυχόντος, καὶ ἀνελομένου, ἐπέπληξεν αὐτῷ ἰσχυρότατα. *Sybarita quidam Pædagogus (nam &*

& hi cum reliquis Sybaritis luxuriæ indulgebant) quum puer, quem ducebat per viam in ficum incidisset, & sustulisset, vehementissime eum objurgavit. Ex his verbis ἐ παιδὸς ὃν ἦγε, optime, cum Clemente Alexandrino observat derivari vocabulum παιδαγωγὸ, celeberrimus & doctissimus vir Jacobus Perizonius.

Pædagogis solebant addi in viis Capsarii, qui in capsula libros pueri ferrent, unde sæpe ambo conjunguntur; ut apud Suet Ner. cap. 37. *Damnatorum liberi urbe pulsi, enectique veneno aut fame. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis, uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.* Conjungit & Lucianus, Amorib. pag. 1061. quo loco eleganter capsarios describit. ἀκόλουθοι δὲ καὶ παιδαγωγοὶ, χορὸς αὐτῷ κόσμιος ἕπονται,

K 2 τὰ

τὰ σεμνὰ τῆς ἀρετῆς ἐν χερσὶν ὄργανα κρατοῦντες. Οὐ πρὸς οὐ κτενὸς ἐντομὰς κόμην καταψήχειν δυναμένας οὐδὲ ἔσοπτρα, τῶν ἀντιμόρφων χαρακτήρων ἀγράφους εἰκόνας, ἀλλ᾽ ἢ πολύπτυχοι δέλτοι κατόπιν ἀκολουθοῦσιν, ἢ παλαιῶν ἔργων ἀρετὰς φυλάττουσαι βίβλοι. *Assecla autem & Pædagogi, turba conveniens ipsi sequuntur, venerabilia virtutis instrumenta manibus tenentes: non secti pectinis incisuras, quibus coma demulceri queat, neque specula formarum oppositarum, non pictas imagines. Sed vel multiplices pugilares a tergo sequuntur, vel veterum operum virtutes custodientes libri:* Apparet ex ultimis verbis, Pædagogos solitos sequi in viis suos alumnos, quod jam pridem ex his Manilii versibus,

> *Componet teneros etiam qui nutriet annos*
> *Et dominum dominus, prætextæ lege sequatur.*

&

& ex aliis Auctoribus observavit doctissimus Gronovius Observat. lib. 2. cap. 11.

Deducebant quoque & reducebant pueros ex ludo litterario. Æl. 3. var. cap. 21. Ἐπανῄει ποτὲ ἐκ διδασκαλείου παῖς ἔτι ὢν Θεμιστοκλῆς. εἶτα προσιόντος Πεισιστράτου ὁ παιδαγωγὸς ἔφη τῷ Θεμιστοκλεῖ. &c. *Puer adhuc Themistocles, quodam tempore e ludo redibat: ita tunc obvio Pisistrato, pædagogus dixit Themistocli*, &c. Respiciendus ibi Cl. Perizonius, qui docet pueros a pædagogis, puellas a nutricibus in ludum ductas fuisse.

Alumnis semper assidebant in theatro Pædagogi, Suet. Aug. cap. 44. *Maritis e plebe proprios ordines assignavit. Prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis.* Adderem Theophrasti locum ex character. 9. de Impudentia, sed cum videam eundem

 afferri

afferri a doctiſſimo Caſaubono ad Suetonii verba, nolo recoquere, præſertim quoniam omnino reſpiciendum moneo.

Ex his ut puto exemplis ſatis conſtat, pueris ne vitam licentiorem ingrederentur ſemper Pædagogos affuiſſe; quod præterea & ipſum pædagogi nomen clarum facit, & Galbæ jocus, apud Suet. Galb. cap. 14. *Regebatur trium arbitrio, quos una & intra Palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, Pædagogos vulgo vocabat.*

Atque ut magnam curam, ſic & magnam poteſtatem in alumnos Pædagogi habebant; nam cibi quotidie præbebant portionem. Quod ex Euripide Med. verſ. 1019. colligo, ubi Pædagogum hæc jubet Medea.

— ἀλλὰ βαῖνε δωμάτων ἔσω
Καὶ παισὶ πόρσυν᾽, οἷα χρὴ καθ᾽
ἡμέραν.

Sed

Sed ingredere in domum,
Et para pueris, quæ convenit quotidie.

Illos pueri magna proſequebantur reverentia, & cum appellarent Domini nomine inſigniebant; ex Manilii jam allatis verſibus multi viderunt, addam quædam Statii loca, ex 2. Silvar. Silv. 1. quæ eſt Epicedion ad Glauciam infantem quem educaverat Melior. verſ. 52. loquitur de Meliore.

— heu lactea colla,
Brachiaque, & nunquam Do*mini ſine pondere cervix.*

verſ. 70.

— tu Domino requies, portuſque ſenectæ.

rurſus verſ. 75. 80. &c. Vocabant aliquando Pappas, & Tattas. Juvenal. Sat. 6. verſ. 663.

Mordeat ante aliquis quidquid porrexerit illa
Quæ peperit, timidus prægustet

 pocula

pocula Pappas.

Vide Reinesium ad Inscript. 45. Class. 11. Sed credibile in infantia tantum prima pueros sic pædagogos suos nuncupasse.

Pædagogi sæpe alumnos suos, *filios* appellabant. Ita Phœnix apud Homer. Iliad. 9. vers. 438. ad Achillem.

Πως ἂν ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο φίλον τέκος
αὖθι λιποίμην
οἶος. —

Quomodo postea sine te chare fili
hic relinquar
Solus. —

apud Euripid. Phœniss. vers. 155. pædagogus ad Antigonam.

Εἴη τάδ' ὦ παῖ; —
Hæc sint o filia. —

& vers. 201.

Ὦ τέκνον εἴσβα δῶμα. —
Ingredere in domum o filia.

& in Hippolito famulus ad Hippolitum vers. 107.

Τι-

Τιμαῖσιν ὦ παῖ, δαιμόνων χρῆσθαι χρεών.

O fili, oportet honorare Deos.

Pergo ad Pædagogorum curam in puellas: quibus ideo præpositi erant, ut earum pudori invigilarent; ita apud Euripidem Phœniss. versu quem statim adduximus, Antigonam jubet redire in gynæceum pædagogus.

Ὦ τέκνον εἴσβα δῶμα, καὶ κατὰ στέγας
Ἐν παρθένωσι μίμνε σοῖς, ἐπεὶ πόθε
Εἰς τέρψιν ἦλθες, ὧν ἔχρηζες εἰσιδεῖν.

Ingredere in domum o filia & in contignatione
In gynæceo maneas tuo: postquam desiderii tui
Ad delectationem venisti, eorum quæ cupiebas videre

Stat. 12. Thebaid. vers. 205.

— *Nec plura, unumque Menœtem*

(*Olim*

(Olim hic virginei custos, monitorque pudoris)
Eligit. —

vide ibi Barthium.

Hi plerumque jam ab ineunte ætate educationi puellarum præpositi fuerant; de Mœnoete innuit Stat. verſ. 361. ejuſdem libri.

— atque illam contra videt ire Menoetes
Cui vacat, & cara gemitus compeſcit alumna.

Senex apud Euripid. Elect. verſ. 487.

Ποῦ, πȣ̃ νεᾶνις πότνἰ ἐμὴ, δέσποινά τε,
Ἀγαμέμνονος παῖς, ἥν ποτ' ἐξέθρεψ' ἐγώ;

Ubi, ubinam eſt puella mea veneranda, & hera
Agamemnonis filia, quam enutrivi olim ego.

Adhibebantur autem ſæpe ſenes, qui ipſos puellarum patres olim edu-

educaverant; sic senex heic dicit se educasse Electram, ad quem Electra vers. 505.

Ἤ τὰς Ὀρέστου τλήμονας φυγὰς στένεις,
Καὶ πατέρα τὸν ἐμὸν, ὅν ποτ' ἐν χεροῖν ἔχων
Ἀνόνητ' ἔθρεψας σοί τε, καὶ τοῖς σοῖς φίλοις;

An Orestis miserum exilium gemis,
Et patrem meum, quem quondam in manibus habens,
Educasti frustra tibi, & amicis tuis.

& vers. 555.

Οὗτος τὸν ἁμὸν πατέρ' ἔθρεψεν, ὦ ξένε.

Hic meum patrem educavit, ô hospes.

Perspicua ratio est, hos enim quorum optimis moribus & educandi peritia imbuti olim fuerant patres, præ omnibus, fi-

 liabus

liabus suis præficere malebant, certi, fore ut maxima diligentia & assiduitate virtutem sequi, vitia fugere docerent puellas, & arcerent a virorum commercio ne corrumperentur, qua in re alumnabus sæpe nimis nutrices indulgebant.

Dicendum quidem restaret, de delicatorum puerorum cœtu, qui *Pædagogiorum* nomine veniebat; quæ sic explicat Lipsius. *Cœtus elegantium puerorum, quos composita veste, facie, capillis, in publico habebant: & plerumque una ætate; sic dicta quia sub Pædagogo. &c.* Sed segetem hanc, adeo diligenter messuerunt Viri Doctissimi, Lipsius ad Tacit. Annal. lib. 15. cap. 69. Torrentius, & Marcellus Donatus, ad Suet. Neron. cap. 28. Johann. Rhodius de Acia, cap. 5. & Reinesius ad Class. 9. Inscript. 34. ut nullum plane reliquerint spicilegium.

CAP.

CAP. VIII.

Pædagogi Principum & Regum. Illis in singula arte singulus adhærebat Magister. Quatuor ex nobilissimis viris apud Persas, Regum filiis præerant. Profugi nobiles, eorum apud quos se receperant liberis sæpe fuerunt præpositi. Pædagogi, Regum & Principum filios in bellum comitabantur. Phœnix affuit Achilli. Adrastus custos fuit Atydis venatum euntis. Acetes cum Pallante ab Evandro missus.

ATque ejusmodi fuerunt Pædagogi quos solebant Veteres suis liberis præficere; illud tantum superest, ut verbo institutionem Regum, & Principum attingam. Horum cum maximi sit momenti educatio, non

non solus Pædagogus, sed plures, aut quod sæpius fiebat, in singula arte singulus illis addebatur magister. Sic de Alexandro Plutarchus, pag. 667. Πολλοὶ μὲν οὖν περὶ τὴν ἐπιμέλειαν ἦσαν αὐτοῦ, τροφῆς καὶ παιδαγωγοὶ καὶ διδάσκαλοι λεγόμενοι. Πᾶσιν δ' ἐφειστήκει Λεωνίδας, ἀνὴρ τό τε ἦθος αὐστηρὸς, καὶ συγγενὴς Ὀλυμπιάδος. *Multi ejus institutioni appositi fuerunt, nutritii, pædagogi, & magistri appellati: quibus omnibus impositus erat Leonidas, vir & moribus severus, & propinquitate Olympiada contingens.*

Arcessit undique viros doctos qui Commodum instituerent Marcus Imperator, apud Herodian. lib. I. cap. I. τὸν δὲ προϊόντα Κόμμοδον καλούμενον, ὁ πατὴρ μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀνεθρέψατο, πάντοθεν τοὺς ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἐπὶ λόγοις δοκιμωτάτους ἐπὶ συντάξεσιν οὐκ εὐκατα-

τα-

παφρονήτεις καλῶν, ὅπως συνόντες ἀεὶ παιδεύοιεν αὐτοῦ τον ὑόν. Vertit Politianus. *Alterum vero Commodum nomine, magna diligentia curaque pater educavit, accitis undique viris doctrina claris, maximaque proposita mercede, ut mores pro se quisque filii ingeniumque excoleret.* Recensentur multi apud Theocrit. Idyll. 24. quorum unusquisque suam artem Herculem docuit. Ita Linus litteras, Eurytus arcum tendere, musicam Eumolpus, Harpalicus luctam, aurigationem Amphitrio, & bellicam scientiam Castor.

Persarum Reges, quatuor ex nobilissimis viris eligebant, quibus filiorum committebant curam. Clem. Alexandr. lib. 1. Pædagog. cap. 7. pag. 109. Οὐκ ἔλαθον ἡμᾶς παρὰ Πέρσαις βασίλειοι καλούμενοι Παιδαγωγοί. Οὓς τέτταρας τὸν ἀριθμὸν ἀριστίνδην ἐκλέγοντες

τες ἐκ πάντων Περσῶν οἱ βασιλεῖς Περσῶν τοῖς σφῶν αὐτων ἐφίςων παισίν. *Neque latent nos, qui apud Perſas Regii vocantur Pædagogi, quos numero quatuor ex omnibus Perſis optimatim diligentes reges Perſarum, ſuis præficiebant liberis.*

Nobilibus profugis, qui ob aliquod improviſum facinus, citra culpam & mente pura perpetratum, ex paterna domo aufugerant, ſeque apud quendam ex amicis Regem receperant, aliquando puerorum principum cura mandabatur; quod de ſe, ipſe narrat Phœnix apud Homer. Iliad.9. a verſu 448. ad verſ.488. Sic etiam Adraſtus qui ob occiſum imprudenter fratrem ad Crœſum confugerat, Regiorum liberorum Pædagogus factus eſt. Clem. Alexand. lib. 1. Pædagog. cap. 7. Ἀχιλλέως μὲν οὖν παιδαγωγὸν τὸν Φοίνικα φασι γεγονέναι, καὶ τῶ Κροίσυ παι-

παίδων Ἄδρηστον. Vide Herodotum libro primo.

Et hi Pædagogi, cum ad eam jam perveniſſent Regum filii ætatem ut ad expeditionem vel in bellum mitterentur, comites ſemper illis, ut belli dolos, virtutem, & prudentiam docerent, addi ſolebant. Phœnix ad Achillem. Iliad. 9. verſ. 440.

— σοὶ δὲ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
Ἤματι τῷ ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε
Νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο
Οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι.
Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

— tecum vero me misit ſenex equitator Peleus

Die

Die illo, quando te ex Phthia
Agamemnoni misit
Infantem, nondum peritum omnibus perniciosi belli
Neque concionum, ubi homines illustres redduntur.
Propterea me misit, ut docerem te ista omnia,
Dicendique peritus ut evaderes, & idoneus rebus agendis.

Dictys Cretensis lib. 1. cap. 14. *Cum eo Patroclus & Phœnix, alter propter conjunctionem amicitiæ, alter custos atque rector ejus.* Ita, Atydi filio venatum eunti, Adrastum custodem dat Crœsus apud Herodot. lib. 1. cap. 41. Φύλακα παιδὸς σε τοὐμοῦ χρηΐζω γενέσθαι, ἐς ἄγρην ὁρμεωμένου. Μή τινες κατ' ὁδὸν κλῶπες κακοῦργοι ἐπὶ δηλήσει φανέωσι ὑμῖν. *Custodem te opus est esse filii mei*, inquit, *venatum proficiscentis, nequi inter viam occulti grassatores, in vestram perniciem prodeant.* Evan-

Evander Acetem cum Pallante filio miserat. Virgil. Æneid. 11. vers. 30.

Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Servabat senior; qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit, sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis, caro datus ibat alumno.

Stat. 2. Silvar. Silv. 1. vers. 90.

Nec senior Peleus, natum comitatus in arma
Troïca, sed caro Phœnix hærebat alumno;
Optabat longe reditus Pallantis ovantes
Evander, fidus pugnas spectabat Acetes.
Cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris
Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictis.

Puca

Pauca hæc ſunt, quæ in præſenti dicenda habebam de Nutricibus & Pædagogis.

FINIS.



IN-

INDEX AUCTORUM,

Qui citantur vel explicantur.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

F.

G.

H.

I.

L.

Li-

M.

N.

O.

P.

INDEX

R.

S.

T.

I N-

INDEX
RERUM.

A.



L 5 *ejus*

Cyrus

Dex-

-- *cog-*

Plato

L.

Ly-

M.

Ma-

κα-

INDEX

-- *lu-*

-- *a*

P.

R.

S.

-- *sig-*

T.

T.

V.


F I N I S.

ER-

E R R A T A.

PAg. 3. lin. 3. *προσαγοέρυει* leg. *προσαγορέυει*. pag. 11. lin. 5. *secut.* leg. *secuti*. pag. 21. lin. 3. *μηκέτ.* leg. *μηκέτι*. pag. 29. lin. 14. *puius*. leg. *hujus*. pag. 112. lin. 6. *mutilatam*. leg. *mutilatum*. pag. ead. lin. 12. dele *καὶ ταῦτα*. pag. 121. lin. 19. *herils*. leg. *herilis*. pag. 159. lin. *sapientium*. leg. *sapientum*. Reliqua menda quæ Typothetarum incuria, præcipue in accentuum Græcorum positu irrepserunt, facile corriget B. Lector.

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005651569

VB

